





1. Alberti s. Valent. / Diff. de omni presentia  
Naturae humanae Jesu Christi Lipsiae 1691.
2. Antonij s. Pauli / Diff. de Analogia fidei,  
Halle 1729.
3. Asteri s. Sam. / Diff. de Hebrae ex Adami Carta  
edificatione <sup>Postachi</sup> 1674.
4. Baumgarten s. ~~Joh. Gottfr.~~ / Diff. de  
poena aeterna, Halle 1742.
5. ——— / Diff. exhibens demonstrationem:  
extra Ecclesiam non dari salutem,  
Halle 1742.
6. Bidermann s. J. G. / Diff. de Natura ac Indole  
juvenum <sup>Numburgi</sup>
7. Bielefeld s. Joh. Christoph. / Diff. de Vita  
Dei, Ziffa 1695.
8. Böhmer s. Just. Christoph. / Dea Eloquentiae  
Sacrae, Helmst. 1708.
9. Breithaupt s. Josph. Just. / Diff. Secunda  
de perfectione partium, Halle  
1709.

10. Buddei / Joh. Franc. / Diff. de Divinitate Spiritus  
Sancti, Jena 1727.
11. ——— Diff. de poena Damnatorum nunquam  
finienda, Jena 1728.
12. Burgmann / Joh. Christ. / Diff. qua specimen  
theologiae Infantum ex Articulo de  
peccato traditur, Rostochi 1742.
13. ——— Diff. de eo quod in Indagando Scifu  
Mystico nimium est, Rostochi 1742.
14. Clauswitz / Bened. Gottl. / Diff. sexta,  
Septima et octava De fide in Jesum  
Christum, Halle 1742.
15. Seyling / Salam. / Diff. de Christo Spon-  
sore, Lipsie 1728.
16. Dorſchei / Joh. Georgij / Decarius  
vespertinus, Rostochi 1657.
17. Fechtij / Joh. / exegetica Expositio  
Epistolae D. Jude. Rostochi 1656.
18. ——— observationes ad Scriptum  
nonneminis: inter significum illud  
vobis dicitur nonum Testamentum,  
Rostochi 1700.
19. ——— Diff. de praecipuis Oratoris  
Cicilianici in perorando Virtutibus  
Rostochi, 1700.
20. Foerſtndij / Mich. / Manuductio ad  
Theologiam comparativam, Jena  
1713.

21. Holtzsur J. Bartholomaei / Diff. de Necessitate  
 tate Honorum Operum, Francof.  
 1701.
22. programmata Academiae Jenensis  
 in festum Nativitatis Christi  
 de annis 1727 et 1728.
23. Joeh J. Joh. Georgii / Diff. de Spiritu  
 Attico, Wittenbergae 1726.
24. Klaufing J. Henrici / Diff. de aeternis  
 peccatorum poenis, Lipsiae 1729.
25. ——— Diff. de Animabus Bis  
 mortuorum inter coelites commo-  
 rantibus in prima separatione  
 Lipsiae 1729.
26. de Kradewitz J. Alb. Joach / Diff. de  
 mortuorum resurrectione, Rostochii  
 1705.
27. ——— Diff. de Paulo Apostolo  
 post conversionem sup. adhuc  
 phariseo, Rostochii 1703.





8

**IDEAM  
ELOQVENTIAE  
SACRAE**

*PRAESIDE*

**IUSTO CHRISTOPH. BÖHMER**

POLIT. ET ELOQV. PROF.

D. III. NOVEMB. MDCCCVIII

*IN IVLEO MAGNO*

ACADEMICA DISSERTATIONE

EXPONET

IO. CHRISTOPH. LEONHARD  
GERA-VARISCVS.



*HELMSTADII*

---

TYPIS GEORG-VVOLFANGI HAMMII, ACAD. TYPOGR.

IDEAM  
ELOGENTIAE  
SACRAE

PRÆSIDIS

IVSTO CHRISTOPH BÖHMNER

POLIT. ET ELOG. PROF.

DI. III. NOVEMB. MDCCCLXXXIII

IMPLEO MAGNO

ACADEMICA DISSERTATIONE

EXPONIT

IO. CHRISTOPH. LEONHARD

GERA-VARISCVS.



HELSINGIÆ

Typis Georg-Vollgangel Hammel, Acad. Typogr.





## PROOEMIUM.

### §. I.

**D**E vsu rhetorices in sacris, siue, vt ab aliis adpellatur, sacra eloquentia, academica hac dissertatione summam agemus. Vna est eloquentia siue ratio ornate, copiose, suauius dicendi præcepta, ex ipsa rerum natura petita, vsuque omnium sæculorum firmata, suppeditans: pro diuersitate tamen eorum, quæ sermone explicanda sunt, nunc sacra, nunc ciuillis dicitur.

### §. II.

Vis enim oratoria, quæ non in verborum inani profluentia, sed argumentorum neruis consistit, ex consueta humani adsensu indole deriuata, ad res inter se dispares, sacras & ciuilles, adposite vsurpatur. De vtroque autem oratore, tam sacro quam ciuili, vera sunt, quæ leguntur apud Ciceronem libr. I. de oratore: *Magnum quoddam est, onus, atque munus, suscipere atque profiteri, se esse, omnibus silentibus, vnum, maximis de rebus magno in conuentu hominum, audiendum. Adest enim fere nemo, quin acutus atque acrius vitia in dicente, quam recta videat, ita quidquid est, quo offenditur, id etiam illa, quæ laudanda sunt, obruit.* Rideri satis nequit simplicitas statuentium, in cœtu fidelium infucatae pietatis semina sparsuris verbi diuini præconibus dicendi præcepta minime inseruire. Apertissime hunc errorem redarguit, de dicendi studiis immortaliter meritus CHRISTOPHORVS SCHRADERVS, eximio, de rhetoricorum Aristotelis sententia & vsu, commentario. Quas eloquentiæ hic tradit regulas de pronuntiatione, de pura, per-

A

spicua

spicua dictione; quomodo docere debeat orator, commouere & delectare: vt infinita alia taceam, ni obseruet quoque ecclesiastes, quantumcunque fundat verborum, haud quaquam tamen suo satisfaciet officio. Insistit vir beatissimus, cuius ductum, & quam monstrauit viam, apte e sacris rostris verba faciendi, commentatione hac sequimur, vestigijs GEORGII CALIXTI, sempiternae academiae Iuliae decoris, qui summam, sed neruose, in prolegomenis quatuor evangelicorum scriptorum, monstrat, quomodo ratio habendarum ad populum concionum commode sit ineunda. Liceat verba eius huc transcribere, prolixiora quamlibet: *Esse scriptura sensum vel litteralem vel mysticum, & ex solo litterali firma duci argumenta, id exposuimus in compendio, neque hic repetemus. Constat vero inde, in explicatione quacunque litteralis praecipuam, immo unicam rationem habendam esse, adeoque in omni ad populum habita concione hoc erit praecipuum, textum ita interpretari, vt quid per eum Spiritus sanctus primo & proxime significare voluerit, intelligatur. Vbi itaque obscuritatis aut alterius difficultatis ergo aqua alicui haerere posset, ibi succurret haec nostra opera, quam modo praemanibus habemus. Quia tamen ad populum verba fiunt, quae ipsius captui conueniant, discernere prudentis est. Ex illa vero, quam modo diximus, principe intentione reliqua fluunt ac dependent, & quasi derivantur. Horum facile primum est caput doctrinae, siue locus communis vnus aut plures, qui in textu tractando sedem habeant, vel alias ei conueniant. Quae de huiusmodi aliquo capite dici debent, e compendio peti possunt. Conandum autem est, vt res siue doctrina ipsa proponatur verbis commodis & perspicuis, quam potest fieri maxime, & omissis controuersis subtilioribus, veritas, quanta ad salutem sciendi necessaria est, probetur dictis scripturae paucis, nempe ne memoriam auditorum excedant, iisque euidentibus & conuincentibus, ne probatio dubia videatur, & animi eorum, qui beneficio naturae acutiores sunt, & rem atque argumenta siue curiosius siue accuratius perpendunt, in suspensio relinquantur, aut non sine insigni scio incommodo turbentur. Dicta patrum, si probationis loco uti libeat, parce & non sine cautela utendum erit, ne imperitiores prophetas & apostolos cum patribus, Esaiam, Mattheum, Paulum*

Paulum cum Athanasio, Augustino, Gregorio confundant, & omnes pari auctoritate esse sibi persuadeant. Notum enim est, non tam conciones haberi propter eruditos, quam propter populum, ut is in doctrina salutis & morum recte instituatur. Interim opera danda, ut utrisque satisfiat, ut qui in populo simpliciores sunt, necessaria institutione non destituantur; qui acutiores, vim probandi in argumentis non desiderent, nec eruditi ambitiosam & ab illo loco & instituto alienam scientiam saepe non satis solida ostentationem accusent. Qui vero loci communes, quibus textibus conueniant, plerumque per se manifestum est, & nos, ubi opus videbitur, vel indicabimus, vel obiter, quod satis erit, monebimus.

## §. III.

Vsus rhetorices in sacris nihil aliud est, quam apta præceptorum artis dicendi applicatio ad caput fidei aut morum dextre proponendum, & ad persuadendum accommodate: siue eloquentia sacra est facultas, qua idoneus redditur verbi diuini præco, ut, Deo bene iuuante, quæ christiano homini vel credenda sunt, vel facienda, recte & ad persuadendum apte proponat. Eloquentia autem sacra est vel diuina, quæ ortu plane cælestis, non tam verborum ornamentis, copia argumentorum, aut rerum concinna ordinatione, quam diuinis sensibus, & insita quadam virtute efficax, vel infacundissimos, omnisque doctrinæ humanæ rudes momento temporis eloquentissimos efficit: vel heroica, non illa quidem tota ab alto infusa, diuini tamen instinctu præsidioque nixa, commune dicendi genus longe superat, nec præceptorum cancellis includi potest: vel humana, quæ diuino præsidio sine temeritate confusa in rebus sacris exponendis adiumenta humana non respuit, sed naturæ gratiæque dona, atque accuratius castiusque dicendi genus adsequi laborat. Sacra ergo ministrorum ecclesiæ eloquentia, si modum comparandi spectes, humana est; si effectum, heroica. Maiora enim præstat, quam ab homine expectari, aut præstari possunt. Distinctio hæc eloquentiæ in diuinam, heroicam, humanam a tribus eloquentiæ parandæ modis est petita. Primus est extraordinarius & naturæ limites excedit: secundus mixtus, cum

natura coniungens gratiam: tertius communis & mere naturalis. Eloquētia sacra, de qua agimus, diuina primo sensu esse nequit. Miraculosa dona nec expectanda sunt, nec petenda. Sicut linguarum & scientiarum cognitio, sic etiam eloquētia studio & industria hodie comparatur. Diuinum auxilium minime excludimus; quin potius sine eo veram & efficacem in sacris eloquētiā non agnoscimus: neque sine causa aut dicis tantum gratia preces ante concionem fundi, existimandum est. Est enim maius, quam humanæ virtutis opus, hominem ad Deum conuertere, & seruo amoris diuini sensu imbuerē. Frustra ab hominibus hoc suscipitur, nisi Spiritus sancti gratia dicenti adfit, pondusque verbis adiiciat. Hoc modo diuina prorsus eloquētia in ecclesiastis requiritur: non vero hæc spernit humana præsidia. Temeritas foret non contemnenda, sine cura & meditatione ad dicendum proflire, eo quod Deus concionantem in dicendo dirigat. Quæ olim extra ordinem viris sanctis contingere, ad exemplum trahi non debent: naturæ bona & ipsa Dei sunt dona; hæc, ignaui auxilii diuini fiducia, non negligi, sed excoli potius vult Deus.

§. III.

Non respuit ergo humana præsidia, & sicut ad alios mentis habitus, ita etiam ad eloquētiā sacram comparandam plurimum faciunt natura, ars, exercitatio. Qui naturæ donis prorsus destituitur, hunc ars & industria parum iuuabunt: & ad eloquētiæ studia omnium maxime apti idoneique illi iudicandi, qui acumine ac subtilitate sunt præditi: qui memoria valent: qui lingua expedita ac soluta vtuntur: qui vocem suauem, mollem, claram habent, vt sileamus cetera. Post naturam plurimum possunt genuina artis præcepta, quum ad humanam indolem sint accommodata. *Esse enim eloquētiā non ex artificio; (artis regulis) sed artificium ex eloquētia (oratorum obseruata) natum* recte iudicat Cicero lib. I. de oratore. Finis rhetoricæ sacre persuasio est, quem tamen non semper adsequitur ecclesiastes. Neque etiam euentum vel potest, vel  
debet

debet præstare: sufficit, si nihil prætermittat eorum, quæ mun-  
eris eius sunt. Orator sacer extra culpam est, si adposite ad per-  
suadendum dixit, quamlibet ad adfensum non perducatur audi-  
torem.

CAP. I.

de

*Requisitis & decoro oratoris sacri.*

§. I.

**I**ngens munus est, fungi legatione quadam Dei ad homines,  
seu nomine Dei verba facere. Quod ut cum successu præstare  
possit orator sacer, instructus esse debet singulari doctrina &  
virtute. Nam doctrina sine vita reddit arrogantem, vita sine  
doctrina inutilem.

§. II.

Doctrina illa partim necessaria est, partim utilis, partim ad  
ornatum facit. Necessaria est rerum diuinarum sacris prophe-  
tarum & apostolorum scriptis comprehensarum cognitio, quam  
solidam Theologiæ scientiam dicimus. Hanc discimus partim  
ex illis, qui locos communes theologicos scripserunt, partim &  
præcipue ex ipsa scripturarum sacrarum lectione, e quibus sapien-  
tiam cum eloquentia possumus haurire. Compagem ergo totius  
christianæ doctrinæ animo infixam habeat orator sacer, ut in  
omnibus possit seruire analogiam sanorum verborum.

§. III.

Pertinet quoque ad necessaria oratoris sacri præsidia  
cognitio linguarum: primo earum, quibus scriptura sacra est  
exarata, ut ex ipso fonte sensum cuiusque loci & usum deriuare  
queat: secundo illarum, quibus eadem scriptura sacra a doctis  
viris est reddita, artesque & res theologo dignæ sunt perscriptæ:  
tertio vernaculæ linguæ, qua ad populum vitur, ut cum  
gratia audiatur.

§. III.

Requiritur vterius in futuro sacrorum voluminum interprete ecclesiastica historia cognitio, vt gradus & modos doctrinae sacrae instituta, propagata, oppugnata, defensa perspectos habeat, nec profanam historiam negligat & geographiam. Vsum autem profanorum exemplorum in concione minime probamus, nisi forte eiusmodi sint facta, quae ad bonos mores multum valent, & christianis pudorem possunt incutere. Comparabit denique sibi auxilia & ornamenta philosophiae omnis, practicae in primis, quae mores hominum regit, & officia cuiusque describit. Ciuili enim disciplinae & iudicii de negotiis publicis, morisque ciuili ignarus esse non debet, ne harum rerum ignorantia in decorum saepius peccet, vtque cum dexteritate omnis generis vitia, quae apud diuersorum ordinum homines dominantur, in lucem proferre sciat. In tantum igitur ista calleat orator sacer, quantum ad consulendum gregi sibi concredito est necessarium.

§. V.

Scientia autem parum proderit, nisi caelestis gratiae praesidiis fulta, virtutibusque exornata fuerit. Sincerum igitur pietatis studium vitaeque sanctimonia requiritur in doctore euangelico, hoc est, ob integritatem vitae & morum bene audiat, ne probabili suspitione huius aut illius criminis insimulari possit. Altius enim penetrat animos auditorum vox, quam mores dicentis commendat. Neque arrogans sit aut superbus: & sicut a sordido, ita etiam ab insolito vestimento abstineat. Nihil enim magis commendat orationem sanctae religionis ex ambone interpretis publicique hortatoris pietatis, quam si ab homine vanitatibus huius saeculi non impedito profecta esse videatur. Fugiat insuper auariciam, vilium animarum vitium, vtpote quod a populo obseruatum, oratorem sacrum aliorum ludibrio & contemptui exponit, liberalitatemque exerceat, quod tamen pro modulo facultatum est intelligendum. Oportandum esset, ciuitatum rectores ecclesiarum ministris lautius passim prospice-

prospicere, ut haberent, de quo beneficentiam exercere possent; sed hic, paucis mutatis, locum habet, quod est apud Barclaium in Argenide lib. I. c. X. *Tantum auri profundi, tot vilissimos homines de arario vivere placet. Sed demum grave est, ad sacerdotum indigentiam benigno oculo respicere. Hic parsimonia in memoriam redit, hic ararium deficit; immo hercule bona mens.* Necebrietati sit deditus, de qua vera est sententia magni cuiusdam viri: ebrietas in omnibus hominibus vitium est, in femineo sexu turpitudine, in ecclesiaste vero diuini que verbi ministro scelus. Nec alienis negotiis, ad officium suum non pertinentibus, se temere immisceat: non demagogus sit, rixosus, difficilis, austerus: potius placidus & benignus humanitatis officia colat, non solum erga eiusdem fidei focios, sed etiam aduersus dissentientes in religione. Dicit enim non potest, quantopere indocta plebs excetbetur, si audiat, sacerdotes suos in dissentientes impotenter debacchari, eosque inuidiosis nominibus traducere.

§. VI.

Denique requiritur in oratore pia eorum præmeditatio, quæ prolaturus est. De extemporaneis oratoribus sapienter iudicat Quintilianus l. X. c. 7: *Extemporaneis oratoribus plerumque contingit, ut, dum stultis eruditi volumi videri, ipsi stulti videantur eruditis.* Nihil sane magis indecorum, nihil periculosius, quam si ex tempore, & non præmeditatus docere, vel potius quauis absque delectu effundere in ecclesia quis audeat. Quæ autem religiosa excogitauit atque inuenit meditatione, populariter proponat, sciatque de fidei ac morum doctrina caractere alio dicendum esse ex ambone, alio disputandum in cathedra. Grauius hac de re differit Vossius libro de rhetorices natura cap. 4: *Sermo theologorum alius in scholis, alius coram populo esse debet. Nam ridiculi plane sunt, qui scholarum subtilitates adferunt in ambonem, nec raro etiam ipsa artium vocabula e suggestu popelli auribus obganniunt, nihil pens habentes, quo populi fructu dicant, modo a plebe docti aut acuti disputatoris nomen reperrent. At aliud eos docere possunt patrum homilia, quibus nihil disertius, nihil ornatius magisque populare.*  
Quare:

Quare, quod nonnulli aiunt, non posse ea, quæ dicunt, aliter dici, id se ita, uti dicunt, sentiunt, quid nisi, dum peritiam suam pueris, feminis, imperita turba probare satagunt, prudentibus peritisque imperitiam foricis instar produunt: si aliter posse dici vident, ut a populo intelligantur, quid importuna terminorum iactatione aliud consequuntur, quam quod sibi canere, honoremque suum Dei glorie posthabere ab optimo quoque merito iudicentur? Denique etiam hanc decori regulam obseruet, ut auditorum habeat rationem, auriumque, quarum sensus fastidiosissimus est, occurrat satietati, nec auditorem, quem docere, delectare, & attentum reddere debeat, molesta prolixitate obtundat, & in fastidium adducat.

## CAP. II.

de

*Elocutione oratoris sacri & memoria.*

§. I.

**E**locutionis, quæ oratorem sacrum decet, triplex virtus est: prima phraseos perspicuitas: secunda ornatus: tertia occultatio artificii, siue ut hanc verborum curam sollicitè tegat.

§. II.

Perspicuitati sermonis præcipue studeat orator sacer, idque tanto magis, ut facundissimus Schraderus ait libr. cit. *quanto maior auditorii ipsius pars rudior est, & dilucidi sermonis indigentior.* Ea debet esse claritas & diluciditas in oratione sacra, ut mulieres & rudes, quantum fieri potest, intelligant, quæ dicuntur: neque enim paucorum causa doctiorum negligenda est multitudo. Purus igitur & emendatus sit sermo, ne, si iniquate loquatur & barbare, vel contemnatur, vel risum moueat ecclesiastes: neque magis dehonestat concionem, quam si idemdem VVestphalissimus immisceatur. Oportet ergo proprietatem  
sermonis



sermonis & vsum communem, non reconditum & putidum confectari. Neque suaserim futuro oratori sacro, vt in lectione eorum librorum occupetur, qui historiam fabulosam & amores magnatum describunt, vt verba selecta Teutonica exquirat. Immo monendus est, ne det occasionem auditoribus suspicandi, talia scripta, quorum multa inhonestis ignibus lectores saepe vrunt, ab eo tractari. Satis erit, si ex diligenti sacrae scripturae Teutonice lectione vim ac proprietatem linguae nostrae vernaculae obseruet, ac aliis scriptis beati Lutheri, qui in hac parte reliquos omnes sui temporis scriptores facile superat, iungat alios, qui castum & non inquinatum idiomatis vernaculi sermonem confectantur.

## III.

Claritatem efficiunt verba propria & vsitata, modo abstinetur a sordidis & obscenis. Diligentissime sciscitetur orator facer, si quae forte vocabula vitio aut vsu gentis, apud quam degit, turpe quid aut aliud, quam alibi significantia occurrant, vt possit, si vsus incidat, ea euitare. Perspicuitati aduersantur verba impropria, inusitata, ambigua, si multis parenthesisibus interpungatur oratio, si nimis prolixè membra sint protensa, si breuiter nimium adstricta, si periodi fuerint longiores. Puritati elocutionis obstant quoque verba peregrina: a latinis ergo, gallicis, graecis, orientalibus vocabulis abstinemus. Vocabulorum hebraeorum radices inuestigare, graecorum originēs, proprietates, translationes rursari, scholae pulpito, non a boni ecclesiae sacro conuenit. Quis paulo prudentior alienis hisce coram plebe se ornare vellet? Excipiuntur tamen vocabula exotica, ciuitate germanica iam tum donata. Omnem enim in dicendo insolentiam sedulo vitemus. De ipsis sententiis, praesertim non nimis prolixis si sermo sit, consuetudine ita praua-lente, permittitur, vt orator ecclesiasticus breuia quaedam & neruosa patrum dicta, aliorumque apophtegmata, pondere grauissima, latine proferat. Poetarum vero & historico-rum sententias rarissime, & numquam exotica lingua proferat, nec nisi eo in casu, si doctum fuerit auditorium: quod ni sit,

B

ridiculum

ridiculum foret; rusticis ex Epicteto aut Horatio multa proponere, quæ non magis intelligunt, quam si arabice cum illis differas.

§. III.

Perspicuitati denique contraria est oratio frigida, hoc est, illepada & inconcinna. Frigus enim est inepta verborum adfectatio non tantum nihil delectans, sed tædium ac fastidium adferens. Frigus vero efficiunt, orationemque tumidam reddunt verba sesquipedalia, aut poetica, aut verborum coniunctio solis poetis conueniens. His enim audacius & insolentius verba iungere licet, quod in prosa concessum non est. Voces item peregrinas, domesticis friuole admixtas, vocabula & constructiones recenter inuentas, nec indifferenter omnibus probatas, nostras non faciamus. Sicut noua vestium forma a viro prudenti non statim adhibetur, nec ipse inter primos est, qui habitum mutat; ita etiam noua nomina, licet forte non sint inepta, ab oratore sacro non statim sunt admit-tenda, ne nouitatis magis, quam pietatis studiosus videatur. Huc quoque pertinent epitheta intempestiua ac nimis crebra, nec non metaphora vel incongruentes vel obscure.

§. V.

Præter verborum proprietatem, plurimum ad perspicui-tatem facit compositio, quæ non verba modo vitate suauiter-que iungit, sed etiam sententias plerasque periodice complecti-tur. De rebus mollibus & leuibus dicturi, suaves quasi & pro-fluentes voces eligamus; asperas & duras in rebus terribilibus. Poly-syllaba in fine decenter ponuntur, eodem tamen para-grapho pluribus vti polysyllabis, & idemtidem adhibere super-latiuos, delicatis auribus non probatur. Vitandæ etiam sunt complexiones periodorum, tam longiores, quam breuiore: istæ enim vt spiritum dicentis, sic attentionem auditoris fati-gant: hæ itidem, fractis in plures partes sententiis, intellectum remorantur.

§. VI.

§. VI.

Quæ diximus, non solum perspicuam reddunt elocutionem, sed etiam ornata[m] atque aptam. Ornatum poscit ipsa materia omnium pulcherrima, cælestis nempe, digna utique phrasi proponenda. Oritur autem ille a verbis translatis & quouis alio troporum ac figurarum genere excultis. Licet oratori sacro sermonem suum figuris exornare, præsertim quum ipse Spiritus sanctus ab illis in scriptura non abhorruerit, sique hi flosculi cum iudicio proferantur, insignem merentur laudem: optimus vero est ornatu[s], quem res ipsæ pariunt. Quod si enim in rebus quædam est dignitas, in verbis sua natura quidam splendor adparebit. At qui rebus non respondet ornatu[s], & in solis verbis quaeritur, aut inanem tumorem, aut fuco illitam pulchritudinem orationi adfert. Neque tamen ornatu[m] etiam, qui in verbis est, reiicimus, sed adfectionem ornatu[s], seu studium ornandi sine iudicio, tanquam omnium in eloquentia vitiorum pessimum, damnamus.

§. VII.

Pendet etiam ornata elocutio ab ordine, quem tenemus in sermone: in quo obseruandum, ne in amplificatione decreseat, in minuendo augeatur oratio. Id, quod significantius est, posteriori semper loco poni & subiungi debet: & periodi rotundæ, ornatae, numerosæque concionem exornant. De numero interim oratorio certæ regulæ præscribi vix possunt, aurium iudicio præcipue hic credendum. In oratione sacra haud perinde est, quomodo periodi inchoentur, continuentur, finiuntur. Animus noster, iudice sapientissimo Schradero lib. cit. *aurium iudicio, membra periodi decurtata a plenis, redundantia a moderatis, dissipata ab ordinatis, concidentia a sensim confidentibus discriminat, & naturali instinctu hæc quidem probat, illa vero adspernatur.* Habeat oratio sacra elegantiam sine adfectione, candorem sine fuco, grauitatem sine tumore. Non redundet luxuria verborum, sed dilatetur, quantum commode fieri potest. Sit accurata, non abiecta & humi repens: sit viuida oratio, succi plena

& roboris, modo etiam sit apta. Tum vero elocutio apta est, quum verba rebus, & res personis, loco, tempori & studiis cuiusque conueniunt: vt verbo me expediam, quum decorum feruatur. Fugienda est in concionibus conspicua omnis & artificiosa concinnitas, quæ aut amœnioribus descriptionibus lasciuire, aut paronomasis, aut anthiteticis, similiter cadentibus, aliisque verborum figuris ludere animaduertitur.

§. VIII.

Denique perspicuitatis & ornatae dictionis studium, quod adhibuimus, dissimulemus, ne artificiosa diligentiae vestigia nimium eluceant, sed omnia naturaliter fluere videantur. Vbi quæsitum sermonis artificium adhiberi auditoribus subolet, circumueniri se ab oratore censent, & adsentiri cunctantur. Hæc de artificio occultando regula non tantum in elocutione, sed in ceteris orationis partibus omnibus habet locum. Quidquid artis adhibuimus, tegamus: artificium ostentandum numquam, tegendum semper.

§. VIII.

Quum elocutio oratoria sit rerum inuentarum & dispositarum per verba sententiasque apta dispositio, ad persuadendum accommodata, & memoriter recitanda, haud difficulter intelligimus, quam sit oratori memoria necessaria. Ex schedula prælegere concionem haud inusitatum est in Anglia, in nostris terris non satis decore id fieret. Neque enim vim tantam habere ad persuadendum lectio potest, quæ frangit omnem impetum orationis, libertatemque vocis, ac corporis motionem, iniectis quasi catenis, opprimit. Memoriam ante omnia conseruare debet ecclesiastes, quod fit, si vitentur crapulae, somnus diurnus, vigiliae nocturnæ, studia post cibum sumtum statim suscepta; denique negotiorum multitudo. Ad concionem sine hesitatione recitandam multum facit accurata dispositio, animi præsentia, Deoque confisa mens.

§. X.

Medicamentis iuuare memoriam, valde est periculosum, caucat.

caueatque sibi orator a memoria artificiali, quæ phantasiam turbat, ut multi hanc artem professi in maniam inciderint, pretiumque tulerint operæ infelicitis. Subsidiâ meliora memoriæ hæc sunt: si orator, quæ dicturus est, recte intelligat, aduertat in rebus ordinem aliquem, vel naturalem, vel quem ipse ex arte posuit, si in charta, ubi concionem scripsit, capita rerum ad marginem adiciat litteris claris: vel etiam totam dispositionem in breue compendium redigat. Tempus ediscendi concionem eligat matutinum, quum liberior curis est animus. Conducit etiam voce submissa uti, quum expressio verborum altius res menti infigat. Non tamen velim, ut eodem die ante concionem clara voce declames, ne accedas ad sacrum ambonem iam lassus. Ediscatur oratio per partes, quæ nec nimis sint exiguæ, nec nimis multæ.

§. XI.

Si concio ad verbum in chartam coniiciatur, & memoriæ articulatim mandetur, licet magni res sit laboris, laudari tamen satis non potest. Hoc modo meliori omnia ordine & sine fastidiosis earundem rerum vocumque repetitionibus magno auditorum fructu dicentur. Conciones memoriæ mandatæ diserteque propositæ longe magis placent, quam sermones extemporales, in quibus centies idem dicitur, & apta verborum dispositio prorsus negligitur. Interim qui memoria non pollent tantopere, iis satis erit, si rem ipsam partitionesque concionis, ac præcipua eius capita habeant in memoria. Si qui sunt, qui ad munus ecclesiasticum se præparantes in ambone sacro tantam memoriæ infirmitatem sentiunt, ut obmutescere opus habeant, descendant in seipsos, & si sua culpa id accidisse deprehendunt, maiori studio & accuratone rem agant; sin minus, Deum inuocent, ut indulgeat dona necessaria. Vtroque in casu mox cathedram, sed alius loci repetant, nouumque faciant periculum. De cetero si quis accuratissime rem egit, si post iteratas preces, post moram & interualla opus nondum successerit, diuinitus se ad alia destinari iudicet, aliudque vitæ & studiorum genus eligat.



CAP. III.

de

*Actione oratoris sacri.*

§. I.

**Q**uantam decora oratoris sacri actio vim habeat ad docendum, delectandum, mouendum, dici satis non potest. Efficacia eius oritur inde, quod vox aures, corporis motus oculos feriant auditorum, per quos duos sensus omnis ad animum penetrat adfectus. Merito igitur oratoriae ecclesiasticae sectator primam, secundam & tertiam illi tribuat operam. Natura plurimum confert, sed ars & exercitatio naturae defectus supplere quodammodo poterunt. Continetur vero oratoris actio voce & gestu.

§. II.

Pronunciationis, vt primo generatim de illa agamus, adfectio prima debitam vocis magnitudinem requirit, vt, si multi sint auditores, exaudire omnes possint; sin pauci, his quoque vox attemperetur, ne clamore nimio aures obtundantur: altera, vocis flexum varie mixtum praecipit, vt rerum proferendarum natura postulat. Si vel naturalem, vel spontaneum hominum colloquentium sonum obseruamus, adparebit, neminem vno tono, quod pronunciat, efferre, sed vocem varie commutare. Monotonia, vitium harmoniae contrarium, quorundam tenerae aetatis doctorum, inscitia dicam, an ignorantia prouenit, puerorum linguis sensim inolefcit, & publico damno serpit saepe in rostra, ambores, cathedras, adeoque excellentis doctrinae pretium mirum quantum minuit.

§. III.

Speciatim de pronunciatione acturi, primo monemus, (id quod etiam ad doctrinam de gestu oratoris pertinet) vt caveant iuuenes, qui praecipitores suos aemulari solent, ne eos in illis

illis, quibus ipsi contra artem & rationem quid committunt, imitentur. Quod ad prononciationem attinet, præcipua oratoris cura sit, vt auditores verba facile & sine labore percipere queant. Sit ergo vox clara & sonora, vt neque lenitate sua auditum fugiat, neque intensiois magnitudine sit molesta. Obseruet autem quisque naturam suæ vocis, vt probe teneat, quantum possit eam attollere, detque operam, ne supra vires intendat. Nec solum ipse diligenter hoc aduertat, sed etiam ab aliis iudicium quærat. Si vox sit exilis nimium, fortior firmiorque reddatur, quod fit, si omne, quod legimus, aut memoriæ mandamus, clara voce prononciemus. Si adsit præcipitantiæ linguæ, priuata lectio tarde & distincte sæpius instituta, articulata & satis distinctam vocem conciliabit. Ad sonoram autem & masculam vocem comparandam non accedendum est vno impetu, aut violentia naturæ contraria, sed per gradus. Sit insuper prononciatio ornata, hoc est, auribus suaui, habeatque varietatem, vt aliquando lenis sit, aliquando vehementior, modo accelerata, modo tranquilla, modo concitata. Fugiat eorum aduetudinem, qui inter dicendum frequenter sereant aut tussunt. Sermonis enim cursus & prononciatio interrumpitur, non sine auditorum insigni molestia, quorum oculi offenduntur & aures. Ratione diuersitatis rerum, de quibus loquimur, adfectus, quem mouere volumus, partium orationis, verborum magis vel minus significantium, vox est varianda; quum æqualis vbique & sibi conformis prononciatio omnes orationis partes æquales reddat, omnemque argumentorum & probationum vim minuat.

### §. III.

Fugienda quoque ea prononciatio, quæ a naturali & familiari longe discedit, habetque quemdam sonum voce prope ad cantum inflexa. Ratione eleuationis vocis extremum est fugiendum, ne vnquam ad summum vsque tonum, quem vox attingere potest, eleuetur, neque vnquam ad imum, quo vsque potest descendere, deprimatur.

### §. V. Etiam

## §. V.

Etiam ratione partium orationis varianda est pronuntiatio. In exordio vox perorantis submissa sit & modesta, quia orator vires laterum parce dispensare, & non nisi pedetentim incallescere debet: neque tamen ipsum cum exiguo murmure exordiri velim. Nam qua ratione, qui cum paruo murmure incipit, in cœtu magno possit audiri? Neque sub initium sermonis elatiori voce vtatur, nisi in exordiis inopinatis, quæ ex abrupto dicuntur. Propositio clara & elatiori voce est proponenda, vt omnes intelligant, de quo futura sit concio, & ad quem scopum attentionem suam dirigere debeant: attamen in propositione concionem in digitis partiri, iuuenes haud decet.

## §. VI.

In narratione seu explicatione textus non alia vox adhibenda, quam familiaris & vsitata, modo articulata sit probeque distincta; sed vehementia & contentio vocis nondum temporaria est. In confirmatione, seu explicatione dogmatis moralis maxima vocis contentione opus est, & pronuntiatio pro varietate rerum & adfectuum est varianda, quia ibi animus noster valde est commotus, & luculentissimas orationis figuras adhibemus. In epilogo seu peroratione omni conatu summaque contentione est opus, vt voce & gestibus auditorem in sententiam tuam trahas, ipsique propositum argumentum persuadeas.

## §. VII.

Vfus & exercitatio multum iuuabit hoc studium. Mature ergo & sæpe in publico dicat futurus orator: quamlibet in ciue academico hoc dicendi exercitium nec possit propter alia negotia, nec debeat esse nimis frequens. Caueat tantummodo studiosus iuuenis, palæstram hanc ingressurus, ne actionem, quæ in voce (addo etiam in gestu) consistit, ita instituat, vt artem redolere videatur, more eorum, qui nuper aliquid didicerunt, quod, quoniam adfectatum est, auditores offendit. In primis euitet, quantum fieri potest, vitia vocis naturalia, qualia sunt: quum vox in recessu oris nasoque auditur; gracilitas, quæ semiclusis



clusis labris verba profert; hæsitantia, blasfetas, qua certam quis litteram enunciare nequit; & vitia prauæ consuetudinis v. g. agrestem & subrusticam pronunciationem, celeritatem & volubilitatem orationis, nimiam tarditatem, quæ omnes syllabas numerat & computat, clamorem & nimiam contentionem, decurtationem, quæ postrema syllaba auditorem defraudat, asperitatem, quum litteræ quædam nimis duriter proferuntur, aut si adspirationem quis adiiciat, vbi nulla esse debet, tantum orationis.

## §. VIII.

Gestus oratoris sacri rebus, de quibus verba fiunt, accommodatus esse debet, ipsis cogitationibus conueniens, & adfectui, quem mouere quis vult, naturalis. Vt exprimatur recte, amico fideli, & monitore est opus, qui non sit inuidus, nec adulator, sed candidus & apertus, artisque oratoriæ gnarus. Statim in exordio gesticulari non decet. Finis enim gestuum est commotio adfectus, qui locum habet in confirmatione & epilogo. Non debent insuper esse adfectati, non anxie & studiose quæsi gestus, sed quasi e re præsentis nati, cumque rebus propositis & voce dicentis suauius conformes. Cauenda est in omni gestu adfectatio, vt omnia videantur naturaliter se habere.

## §. VIII.

Caput erectum sit in statu suo naturali, non tamen instar statuæ plane immobile, neque semper sit in motu, neque tremat aut protrudatur: neque iusto rigidior sit ceruix, quod arrogantiam & fastum arguit, neque negligenter supina, aut in alterum humerum inclinans, quia id languorem & oscitantiam arguit.

## §. X.

Vultui sua constare debet serenitas, nisi adfectus & perturbata mentis indicium præ se ferat. In omnibus debet esse grauis, nec quidquam continere, quod videntium oculos offendere iure possit. Oculi semper sint ad auditores intenti, qui tamen leniter iam hac, iam illac sunt vertendi: non in vna parte parietis, aut

C

in ali-

in aliqua statua debent esse defixi. Eleuatio aut depresso oculorum, pro ratione rerum, de quibus sermo est, fiat.

## §. XI.

Humeros hinc inde iactitare, & quasi e nauicula fluctibus agitata dicere, perquam ridiculum. Labia nec lingenda sunt, nec mordenda, quod valde indecorum. Nares corrugare, diducere & digito inquietare non licet. Manus gestuum primum sunt instrumentum, in earumdemque confingendarum modo tota fere oratoris actio est sita. Complotio manuum scenicum est, neque simul ac ad loquendum progressi, os aperimus, manibus gestus fieri debet. Numquam manibus fragor aut sonitus fiat, neque iis pulsandus suggestus aut pectus. Tundere pectus pontificii saepe solent; id quod, nisi propria conscientia testis aduocanda, vix probatur, & tunc manus pectori tantum imponenda aut adiuuenda est. Supra caput vero manus non debent eleuari: si attolantur, hoc altius fieri non debet, quam vsque ad oculos, aut paullo duntaxat altius.

## §. XII.

Sunt nonnullae actiones, quae numquam ab oratore gestu sunt repraesentandae. Et quando per prosopopeiam persona loquens introducit, cauendum est, ne gestus statui, in quo fuit, inconueniens tribuatur.

## §. XIII.

Quod reliquum est, haec de modulatione & varia vocis flexione & gestuum formatione praecipua accurate obseruet, antequam in publicum prodeat orator; in ipso vero dicendi actu ea respicere non debet. Tunc enim nil nisi negotium ipsum consideret, nec quidquam, nisi adfectus, quos ipsa res mouet, sequatur. Priuatim eadem ad usum sunt transferenda, donec continuato exercitio habitus tandem adquiratur.

## CAP. III.

*Morata oratione & adfectibus mouendis  
sedandisque.*

## §. I.

**A**rgumenta, quæ ab oratore sacro adhibentur, alia inartificialia sunt, alia artificialia: hæc iterum diuiduntur in rationes, mores & adfectus. Oritur hæc distinctio e tribus illis, quæ omnem orationem constituunt, ea sunt: orator, res, auditor, moratam orationem persona dicentis, rationes res ipsa, adfectus auditorum animi subministrant.

## §. II.

Moratam orationem præcipue ecclesiastem decet, vt probus, prudens, beneuolus auditoribus videatur. Complectitur illa duas partes, prima est, qua orator amabiles mores præ se fert; altera, qua moribus hominum se accommodat, quantum salua pietate fieri potest.

## §. III.

Indolem humanam ita comparatam esse nouimus, vt illi, quem prudentem esse intelligit, multo promptius adfentiatur, in primis si pietas & fauor erga auditores ex eodem sermone illucescant: contra oratio, quæ inscitiam, improbitatem, maleuolentiam dicentis spirat, animos audientium auertit & alienat.

## §. IIII.

Quo grauius est publicum docendi munus, & plura, vt rite præstetur, requirit, eo magis oratori sacro prudentia est necessaria. Nam per imprudentiam multa fiunt, propter quæ nonnulli sacerdotes aliorum censura & obreccationibus, ne dicam, risui expositos esse constat. Difficulus vero tot diuersis auscultantium ingeniis, auribus, iudiciis satisfacere: & difficillimum est,

apte ad propositum finem, loco, auditori, tempori congruenter dicere.

§. V.

Præceptis ac institutionibus prudentia doceri haud potest, pendetque maximam partem a natura, & quodam recte de singularibus rebus existimandi, prout usus fert, innato iudicio. Prudens interpres pietatis vires sibi a Deo inditas bene noscat, atque eas perficiat, nihilque supra vires & ingenium audeat. Multum igitur refert, si seipsum quis dignoscat. Hæc sui notitia ad hoc quoque proderit, ut seipsum quis vel moderetur, vel urgeat.

§. VI.

Auditorum præterea mores & ingenia sedulo exploret, hinc imprudenter agunt, qui difficiles quæstiones theologicas proponunt multitudini in populari concione. Pertinet quoque ad prudentiam, ut non solum bene quis loquatur, sed etiam ad rem, de qua sermonem instituit, comparaturque ea natura, doctrina, experientia, consilio prudentium virorum.

§. VII.

Virtutem suam ostendet orator, si modeste ipsemet de se prædicet, propter quæ ab aliis potest laudari. Oratori modesto, nec de se magnifice sentienti fauent auditores, ita, ut errata eius obliuioni transmittant. Omnis ergo ostentatio fugienda, ab omni verbo gestuque sibi caueat ecclesiastes, quo significatur, illum placere sibi nimium in eo, quod dicit. Magna aliqui & singularia se dicturos pollicentur, nec raro parturiunt montes, nasciturque ridiculus mus. Ostentatio ista audientibus adfert non fastidium modo, sed odium: inuidet humiliores, rident superiores, improbant boni. Neque tamen contemptim de seipso loquatur orator sacer: in sui vituperatione sæpe potest inesse adfectata quædam humilitas, quæ magnam habet superbix significationem.

§. VIII.

Morata orationis pars singularis est nostri sermonis ad mores aliorum accommodatio. Persuasio non tantum a dicen-  
vis in-

tis ingenio & facultate, sed etiam ab audientium dispositione dependet, & qui mores hominum ignorat, moribus hominum sermones suos adtemperare nequit. Haud tamen blandiri atque adulari pietatis hortatorem volumus. A sententia auditorum aperte dissentire, & ceterorum hominum moribus reniti debet, ubi publicæ rei salus, maxime autem Dei gloria id exposcit.

## §. VIII.

Moribus hominum prudenter se accommodet ecclesiastes, in quantum pietas & honestas id permittit. Verba ipsi sunt facienda ad iuvenes, senes, viros, nobiles, diuites, potentes, fortunatos, quorum indolem voluntatemque indagare debet. Regum, principum & vulgi ingenia Lipsius lib. III. polit. c. 5. & 6. descripsit, ad quod exemplum, monente beatissimo Schradero lib. cit. aulicorum, doctorum virorum, militum, mercatorum, opificum, agricolarum, mulierum, virginum, matrumfamilias, viduarum, calibum, coniugum, in fide christiana incipientium, perficientium & perfectorum mores sunt noscendi.

## §. X.

Iuuenum mores esse solent, vt facile concupiscant, & quæ concupiuerunt, subito interdum exsequantur. Ex cupiditatibus maxime propendent in voluptates: facile se patiuntur seduci: mutabiles sunt & in cupiditatibus fastidiosi: ad iram procliuēs, vtpote indocti iniurias pati. Honoris cupidi sunt, magis tamen victoriæ: pecuniæ studiosi non sunt, vtpote egestatem & inopiam nondum experti: omnia in meliorem partem interpretantur, creduli sunt & facilis ad sperandum. Sunt magnanimi, quia multum sperant, quod confidentiam auget, & ad iram procliuēs, quod timorem adimit: amicorum & sodalium amantes iusto vehementius, in adseuerando confidentes, multa etiam exaggerantes: faceti sunt pronique ad risus, & reliqua.

§. XI.

Senes in suis actionibus remissiores sunt, de omnibus rebus dubitant, & frequenter sermonibus suis particulam fortasse immiscent, omnia in sequiorem partem accipiunt. Suspiciosi sunt, quia increduli: meticulosi sunt, omniaque tuta timentes, quia frigidi; metus autem refrigeratio quædam est. Tenaces & auari, utpote usu edocti, quam partu difficilis, amissu facilis sit pecunia. Vitæ amantes, præsertim extremo vitæ tempore: queruli & morosi, non urbani, elapsi temporis laudatores. Utilitate omnia potius, quam dignitate & iucunditate metiuntur. Sunt loquaces, quia præteritarum rerum recollectione multum delectantur: censores sunt aliorum, eosdemque libenter docent.

§. XII.

Mores virorum sunt, ut cupiditates habeant nec incitatas nimium, nec languentes: non sunt admodum confidentes, nec ultra, quam par est, meticulosi: non parci nimis, nec prodigi: temperantes cum fortitudine, & fortes cum constantia. Denique si iuuentutis & senii vitia præcindas, virtutes coniungas, consummatus virorum character inde conflabitur.

§. XIII.

Qui mores hominum accurate intelligit, recessus ingenii humani penetrabit facile, faciliusque excitare adfectum poterit. Ad hoc enim necessario requiritur. 1. Ut quis perspectam habeat hominum indolem atque ingenium. 2. Explorandum, num quis contrarius adfectus animos auditorum profus occupauerit: tunc enim validioribus argumentis est eruendus. 3. Numquam orator ex abrupto, vel in exordio ad adfectus mouendos profiliat, sed sensim, animisque demum præparatis. 4. Oratio eius sit morata. Tali enim facilius creditur. 5. Sit eloquens, non balbutiens aut hæsitans, ut non tam rei, quam sui misericordiam moueat orator. 6. Necessarium plane est, ut ille, qui dicit, tales adfectus animo concipiat atque suscitet, & quodammodo visendos ceteris exhibeat, quales cupit in aliorum mentes

mentes transfundī. Qui ipse totus ardet, atque ad præclare quid agendum est inflammatus, is alios poterit sua oratione, & quasi exemplo suo, ad idem agendum facilius accendere.

§. XIII.

Excitat in semetipso quis adfectum. 1. Diligenti rerum consideratione, quum quis singula, quæ rei coniuncta sunt, accurate excutit. 2. Vehementi imaginatione & phantasia, quando quis rerum, de quibus sermo est, species & imagines animo suo sic infigit, tanquam si priuata ipsius causa ageretur. 3. Si quis locum aliquem in libris præsertim sacris attente perlegat, in quo adfectus artificiose moueri iudicatur. 4. Pii precibus, quibus Deum imploramus, vt hunc vel illum adfectum in nobis excitare dignetur. 5. Plurimum momenti ad adfectum mouendos adfert, viua vocis moderata pronuntiatio cum decore & grato dicentis gestu. 6. Omnium optime mouent, quibus diuinitus concessa est virtus seu potentia illa in dicendo. Videmus enim non raro, quosdam prorsus sine arte & simplicissime dicere & pertrahere auditores, quocunque velint.

§. XV.

Adfectus doloris & tristitiæ mouetur sequentibus: 1. si rei indignitatem peccatiue commissi dedecus proponamus. 2. Si ob oculos ponatur scandalum peccatis tam enormibus; infirmioribus datum, quod tam seuerè in scripturis prohibetur. 3. Deum a nobis nequiter læsum esse, cuius innumera in nos exstant beneficia. 4. Ipsas creaturas peccatis nostris cruciari. 5. Spiritum sanctum tristitia adfici ob peccata nostra. 6. Christum semper nobis præsentem esse, nosque, quoties in peccata collabimur, quasi intueri, exemplo Petri. 7. Christum pro nobis esse passum & crucifixum. 8. Magnum esse fructum huius tristitiæ. 9. Deum irasci peccatis, grauissimasque pœnas peccatoribus immittere.

§. XVI.

Adfectus tristitiæ ab externis calamitatibus ortus ita sedatur: 1. Si adfectus indigna patiatur. 2. Conditione vitæ christia-

christianæ, quæ patiendi necessitatem adfert. 3. Si patiatur propter bonam causam. 4. Omnia fieri permittente Deo. 5. Exempla meliorum, qui eadem aut maiora sunt perpessi. 6. Bonum patientiæ. 7. In utraque fortuna animi æquitas & constantia seruanda. 8. Inutilitas lacrimarum. 9. Conformatio voluntatis nostræ cum diuina. 10. Fructus afflictionis.

§. XVII.

Misericordiæ adfectus ita mouetur: 1. Deus iubet, ut aliorum misereamur. 2. Deus nostri miseretur, ergo & nos oportet aliorum misereri. 3. Præmia misericordiæ. 4. Immisericordium pœnæ. 5. Innocentia patientis. 6. Passio propter bonam causam. 7. Passio ab indignissimis. 8. Persona patientis & circumstantiæ eius v. g. dignitas, ætas.

§. XVIII.

Amor in Deum excitatur sequentibus rationibus: 1. Dei hoc mandatum esse. 2. Deus est summum bonum, amorque ipse, omniaque vera & æterna bona in se continet. 3. Deus innumera in nos beneficia contulit. 4. Fructus amoris diuini. 5. Pœna eorum, qui Deum non amant. 6. Deus nos amauit, ergo a nobis redamandus est.

§. XVIII.

Amor in proximum excitatur sequentibus argumentis: 1. Proximi utut inimici, homines tamen sunt. 2. Ad eandem hæreditatem vitæ æternæ sumus vocati. 3. Inter præcipua Dei mandata est, ut proximum diligamus. 4. Amor proximi vocatur impletio legis. 5. Pœnæ propositæ proximi sui osoribus. 6. Præmia mutui amoris.

§. XX.

Timorem Dei sequentia excitant enthymemata: 1. fructus timoris diuini. 2. Imbecillitas nostra Deique potentia. 3. Mandatum diuinum. 4. singularis cura & prouidentia, qua Deus timentes ipsum respicit. 5. Excellentia eorum, qui Deum timent.

§. XXI.

Humilitatem excitamus sequentibus rationibus: 1. omnes nos



nos esse eiusdem originis. 2. Christum fuisse humilem, ergo & nos tales esse debere. 3. Dei mandatum eam poscere. 4. Exempla sanctorum proficere. 5. Promissionem habere eandem futuræ felicitatis. 6. Post mortem nos omnes esse pares. 7. Bona, quibus excellimus, non esse nostra, sed diuinitus concessa. 8. Nosse se ipsum, quot vitiis, quot miseriis obruti simus, quam tenuis nostra sit excellentia, quam inconstans, quam exigua, quæ facere possumus.

§. XXII.

Pudorem incutimus 1. Si ab hominibus tenuioris conditionis hac in parte superamur. 2. Si vitia nostra in eorum notitiam venerunt, quos colimus: quanto magis pudorem de commissis peccatis in nobis excitabit, Deum hæc omnia scire. 3. Si commisimus, quæ in aliis perperam facta esse dicimus. 4. Si nobis indigna commisimus. 5. Si homines de nobis sinistre loquuntur. 6. Si præuarcationes nostræ sunt in aperto.

§. XXIII.

Æmulationem excitant 1. Maiorum virtutes. 2. Clarorum virorum egregia facta. 3. Nominis decus & ornamentum. 4. Si probabiliter de bono euentu sumus certi. 5. Dedecori nobis esse, si cedamus æqualibus. 6. Si bono non potiamur, id foecordix nostræ imputatum iri. 7. Quæ difficilia, ea esse pulchra.

§. XXIII.

Quomodo adfectus reliqui aut moueri queant, aut sedari, exposuit accuratissime disertissimus Schraderus commentario sæpius laudato, qui videatur.

CAP. V.

de

*Orationis sacre exordiis.*

§. I.

**I**nter partes sacre orationis primo loco proœmium numeramus seu exordium. Est vero illud vel generale, quod introitum dicimus, vel speciale.

D

§. II. Pri-

§. II.

Prima pars concionis introitus est, qui ad religiose atten-  
teque audiendum præparat animos. Id quod partim fit inuo-  
cando gratiam diuinam, partim indicando, cuius causa con-  
uenerimus. Quum autem in vniuersum exordia breuitatem postu-  
lent, facile patet, eam in hoc communi & generali exordio  
maximopere esse conseruandam, parumque decere, patientiam  
auditorum generalioribus istis consumere, vt, quum ad rem ipsam  
uentum sit, ii tædio defatigati animos ab auscultando auertant.  
Breuis ergo sit introitus, & semper vniformis in concionibus  
ordinariis. Vox hic debet esse humilis, ita tamen, vt exaudiri  
queat. Nihil enim minus exordium decet, quam grandilo-  
quentia, quod demisso vultu, supplicantium ritu, est propo-  
nendum.

§. III.

In magnorum festorum solemnibus, funeribus hominum,  
de ecclesia vel republica meritissimorum, solemnis & particu-  
laris introitus non immerito adhibetur; seu precibus alia quæ-  
dam præsentì temporì accommodata, præmittuntur decore.

§. IIII.

Post introitum, & clara penetrantique voce prælectum  
textum, sequitur exordium speciale, cuius munus est, ad præ-  
sentem maxime tractationem animos preparare.

§. V.

Virtutes exordiorum sunt. 1. breuitas, quam metimur inter  
alia proportione, quæ tanquam caput reliquo corpori orationis  
respondere debet. Illis diutius immorari, quid aliud est, quam  
auditorem adficere tædio, & cupiditatem auscultandi retundere?  
Audiendæ rei cupidis quoduis exordium longum. Accedit,  
quod ex eius prolixitate præfagiant auditores, concionem ipsam  
fore longiorem, quod attentioni & benevolentia conciliandæ  
plurimum solet obesse. 2. Proprietas, ne in aliam facile, quam  
in hanc causam conueniat. Exordium debet esse proprium,  
ex

ex ipsis caussæ visceribus natum, non alienum, non e longinquo petitur, non commune omnibus orationibus seu vulgare; sed bene cohærens materiæ tractandæ, sed domesticum, piûm, conueniens, coniunctum. 3. Verecundia & modestia. Exordium ne sit adfectatum, pomposum, sed graue, verecundum. Nam sese audacem statim ostendere, vitium est contra naturam exordii, abalienans auditores, quum beneuolos facere debeat. Nihil minus conuenit oratori sacro, quam sub initium tumultuari, in clamores erumpere, & sesquipedalia verba iactare. Cogitant secum auditores: quid dignum tanto hiatu promissor hic feret? Difficile quoque est expectationem illam, quam tumido exordio fecimus, sustinere, eademque contentione orationem ad finem vsque prosequi.

## §. VI.

Exordia desumuntur 1. a rei propositæ commendatione, cuius dignitatem necessitatemque delibamus, & quid emolumentum eius allatura sit, ostendimus. 2. A laude diuini scriptoris, ex quo thema concionis est desumptum. 3. A circumstantia temporis v. g. in diebus festis, quorum origo & finis explicatur, vel ostenditur, quomodo propositi tractatio ad præsens tempus quadret. 4. A persona oratoris rarius in concione petuntur exordia: aliquando tamen orator sacer de seipso verba, salua modestia, facit, e. g. in concionibus auspicalibus, quando munus suscipit, aut quando obrectatoribus est respondendum, id quod tamen numquam publice est faciendum, nisi apertis calumniis ipsa muneris dignitas petatur. 5. Sumuntur exordia a dictis scripturæ. 6. E summa textus. 7. A collatione textus cum tempore, vel relatione textus ad capita catechismi, vel a connexionem consequentis cum antecedente. 8. Ab historia præsertim sacra, a contrario, a genere progrediendo ad species, a quæstione aliqua insigni, similitudine, dissimilitudine, apophtegmate, typo.

## §. VII.

De inuentione exordii cogitatio suscipiatur, oratione

tione sacra iam ad finem elaborata: vel tum demum, postquam de omnibus, quæ dicenda sunt, apud nos constiterit: tunc enim erit accommodatum. Nulla vero pars est concionis, quæ maioris sit momenti, quam exordium. Quæ primo loco dicuntur, magis insident auditorum animis, & si grata sunt, dici vix potest, quantam vim habeant ad conciliandum amorem. Absint in exordiis diuisiones & subdiuisiones: transitus apte fiat ad nostrum thema, ostendatque adplicationem ac nexum inter exordium & propositionem.

## CAP. VI.

de

### *Propositione.*

§. I.

**P**ropositionem dicimus rem, de qua acturi sumus, seu orationis argumentum. Explicatio enim textus nil nisi occasionem & materiam concionis habendæ continet, quæ deinceps in certam propositionem collecta, oratione ad persuadendum accommodata explicatur, & ad vsum auditorum transfertur.

§. II.

Propositio alia est simplex, alia multiplex: illa, in qua vnum quidpiam proponitur; hæc fit per enumerationem, seu est partitio, quum & quot, & quibus de rebus acturi simus, ostendimus. Simplex propositio in oratione sacra vehementissime probatur: qui tamen multiplici velit vti, seu diuisione, is det operam, vt diuisio ex re ipsa proficiatur, nec a subtilitate ingenii sit reperta, vt pauca sint diuisionis membra, nec duas, aut ad summum tres sectiones excedat, vt plena sit & absoluta, hoc est, totum argumentum exhauriat, vt sit aperta & paucis verbis comprehensa. At similiter cadentia & desinentia fugienda cense-

ensemus, quum non habeant grauitatem, & nescio, quem puerilem e verbis lusum redoleant. Sunt hæ partitiones rhythmicæ plerumque contortæ, nec ad rei naturam accommodatæ, & obscuritatem sæpe pariunt. Satius autem forsitan est, a diuisione prorsus abstinere, & rem generatim proponere.

## §. III.

Omittantur quoque partium diuisiones & subdiuisiones: in membra enim, non frustra secandum est argumentum, ne obruatur auditoris mens & memoria, & ne veluti in puluerem concisum effugiat oculos & euanescat.

## §. IIII.

Propositionis præcipua virtus est perspicuitas & breuitas. Perspicuitate captui auditorum nos accommodamus; breuitate memoriæ consulimus. Propositio eiusque partitio terminis latinis aut philosophicis ad populum proferenda non est, sed familiaribus verbis, & in communi sermone receptis. Peccant in hanc legem, qui teutonicis versiculis themata includunt, aut allegoriis vtuntur, mysteria potius noua, quam perspicuam propositionem auditoribus obrudentes. Qui memoriæ suæ non satis confidit, rectius facit, si initio orationem tam anxie non partiatur, sed summam dumtaxat argumenti adferat, de quo in progressu sit dicturus. Si orator sacer, partitione facta, se breui sermone partes propositas explicaturum, promittit, & tamen postea iusto prolixior est, in aliis fidem apud auditores vix inueniet.

## §. V.

Partitione facta, sequitur attentionis petitio & votum: absque adfectione, absque flosculis & nimis ornamentis hæc proponantur, id quod grauitati oratoris sacri maximopere congruit.

CAP. VII.

de

*Narratione seu explicatione.*

§. I.

**Q**uod in causis civilibus & forensibus est narratio, id in orationibus sacris explicatio præstat. Vbi textus non est status, vel certus, sed arbitrio oratoris relictus, eligendum esse arbitramur textum loco, tempori præsentis & personæ dicentis maxime consentaneum, atque talem, qui ad vitam agendam potissimum facit: neque textus sit nimis brevis, ne ingenium ostentare velle videatur orator sacer. Summopere enim cauendum pietatis hortatori publico, ne quid det ostentationi, aut vanam gloriam aucupetur. Neque sit nimis longus in aliquibus, ne, dum non omnia obseruatu digna tractat, tractare ea vel noluisse, vel non potuisse credatur.

§. II.

Quoties textus clarus & perspicuus satis per se est, orator prolixè explicando illi frustra immoratur, auditoribusque fastidium parit. Si quæ sint in eo difficiliora, strictim explicet breuiterque, vsibus nullis intermixtis. Paucis: explicationem commendat breuitas, perspicuitas, ordo. Qui quæ in se plana sunt, explicare conatur, ille magis implicat, quam explicat. Et qui immoratur diutius paraphrasi, in adplicatione breuior sit, oportet, quæ tamen pars magis est necessaria, & auditores maxime tangit. Populariter quoque omnia sunt proponenda, hoc est perspicuis & scholam non redolentibus verbis. Non ostentetur in expositione variarum linguarum peritia, & in illis rebus, quæ eruditionem requirunt, accommodare illam debemus ad captum auditorum.

§. III.

§. III.

Inter omnes explicationes reliquis merito præfertur literalis. Mysticæ interpretationes decore quidem intermiscentur, interim nihil probant aut euincunt. Dogmati firmando vnica literalis adferri debet.

§. IIII.

In explicatione textus varias doctorum sententias enarrare, ad ostentationem & pompam potius, quam ad vtilitatem facere videtur; imo eas, qui audiunt, dubios sæpe reddit, qui ab eruditorum dissensu ad diuinarum scripturarum obscuritatem argumentantur.

CAP. VIII.

de

*Confirmatione, qua vititur argumentis  
inartificialibus.*

§. I.

Confirmatio præcipua pars est orationis sacre. Hæc enim finem & scopum concionis respicit, nempe persuasionem. Sed nemo facile sibi quidquam persuaderi patitur, si non audiat rationes, aut alia quædam, quæ ipsum inducant, ad illud credendum. Referuntur huc enthymemata artificialia & inartificialia, qualia sunt sub auctoritate aliqua prolata testimonia & exempla. Pertinent huc quoque adfectus & moratæ orationes.

§. II.

Enthymemata seu argumenta artificialia excogitantur oratoris ingenio. Inartificialia sunt, quæ extrinsecus suppeditantur, & ad quæ reperienda ars nihil confert. Inartificialium argumentorum eximius est in eloquentia sacra vsus. Res enim, de quibus orator sacer verba facit, maximam partem sola auctoritate scripturæ nituntur. In ceteris quoque rebus humanæ rationi subiectis, tutius orator facit, qui eas diuinarum scripturarum

rarum testimoniis potissimum confirmat, propter summam illarum auctoritatem, quum rationes ab ingenio humano excogitatae facile in dubium possint vocari. Neque tamen ubi scripturae testimonium aduocatur, argumentum statim est inartificiale, sed ubi illud thesin ipsam seu propositionem immediate adstruit.

§. III.

Quum inartificiale argumentum nihil sit aliud, quam testimonium, cui fidem adhibemus propter auctoritatem dicentis, sciendum est, testimonium esse vel rerum, vel personarum, vtrumque vel diuinum, vel humanum.

§. IIII.

Maximi ponderis sunt testimonia diuina, id est, ea, de quibus constat, quod Deum habeant auctorem, qualia sunt, quae sacris scripturis sunt prodita, seu pacta, seu leges, seu promissiones, seu iuramenta. Cetera Dei testimonia, quae vel ex euentu colliguntur, vel ex prodigiis, vel ex vaticiniis aliorum, quam quae a Deo esse inspirata constat, magna circumspectione sunt adducenda. Neque adducenda sunt, nisi quum fidem tum apud omnes, tum apud prudentissimos inuenerunt.

§. V.

Efficacissima igitur argumenta ex scripturae dictis petuntur, in primis, si, quae probanda sunt, in iis ad verbum contineantur, vel saltem per consequentiam omnibus obuiam. Quod si autem consequentia sit longe petita & intricatior, homines quidem eruditos vtcunque mouebit, plebeculam rudem non item, cuius tamen in orationibus sacris potissima ratio est habenda.

§. VI.

Nonnulli gloriae sibi esse credunt, si dictis scripturae difficilibus & vulgo inauditis vtantur. Quamlibet hoc improbari per se nequeat, quum quotidiana vilescant, nec aequae semper delicatiores aures moueant, adfectatum tamen videtur, si a dictis communiter notis plane ablineatur.

§. VII.



## §. VII.

Cum scriptura sacra, quantum eius fieri potest, oratorem sacrum loqui oportet, dicta tamen scripturæ ultra, quam par est, cumulare, & quo capite, aut versu extent, idemidem subiungere, fastum arguit. Tales prudentioribus nihil aliud quarere videntur, quam vt memoria ipsorum veniat in admirationem.

## §. VIII.

Testimonia humana vel a scriptoribus sacris, vel ab extraneis accipimus. Illa sunt conciliorum canones, aliæque leges ecclesiasticæ, vel patrum aliorumque in sacro argumento versantium exempla. Per extraneos scriptores intelligimus ethnicos, qui profanum quoddam argumentum tranctandum susceperunt.

## §. VIII.

Testimonia humana tum probandi, tum illustrandi atque ornandi gratia adferuntur. Vim probandi in rebus fidei tantum obtinent dicta scripturæ, quibus adeo non nisi illustrationis & ornatus ergo subiici interdum possunt patrum, & scriptorum ecclesiasticorum sententiæ: in iis, quæ ad disciplinam ecclesiæ pertinent, idoneum perhibent testimonium synodorum canones, aliæque leges ecclesiasticæ seu veteres, seu recentiores. In morum & vitæ instituendæ præceptis, vtut sacris litteris primus debeatur locus, patres tamen hic quoque possunt fidem facere. Immo ne gentilium quidem testimonia repudiamus, vt ex illorum cum sacris litteris comparatione christianæ doctrinæ sanctitas magis elucescat. Ornandi vero gratia gentilium sententias pro concione citare non decet: adscititia hæc ornamenta rerum sacrarum grauitatem corrumpunt, & quæ e scriptura sacra petuntur, magis decora sunt. In vniuersum de testimoniis humanis hæ cautiones teneantur. 1. Vt parce & cum delectu adhibeantur, ne sacrarum litterarum auctoritas præ illis euilescat. Nam si plebs rudis iuxta Paulum, Petrum, frequenter, aut præ istis frequentius laudari audiat Ambrosium, Augustinum, facile in opinionem venit, eandem horum & illorum esse auctoritatem: immo his plus,  
E  
quam

quam illis tribuendum esse, quia horum testimoniis frequentius  
 utitur orator. 2. Si testimonia hæc sint petita a consuetudine  
 omnium gentium moratorum, ad fidem auditoribus faciendam,  
 non parum conducunt, si in tempore adhibeantur. 3. Veterum  
 ethnicorum testimoniis paratissime utendum, nec fere alio in casu,  
 quam quum pudorem christianis incutere est animus, quod pati-  
 antur, se hac in parte ab ipsis gentilibus superari. 4. Testimonia non  
 qua scripta, sed qua a populo intelliguntur lingua adducantur.  
 Longiora enim testimonia & latine & teutonice recitare, quid  
 aliud est, quam tempus cum auditorum perdere fastidio, & ora-  
 tionis cursum, in quo dicendi gratia perspicitur, interrumpere?  
 5. Etiam testimonia doctorum errantium præbent argumen-  
 tum, magis tamen ad refellendum, quam demonstrandum. 6.  
 Petuntur denique testimonia humana e scriptis orthodoxorum  
 theologorum, quos inter vni beato Luthero ob ingentia in eccle-  
 siam merita hic honos merito tribuitur, ut citetur nominatim.

C A P. VIII.

de

*Argumentis artificialibus.*

§. I.

**A**rtificialia argumenta sunt, quæ ab oratoris ingenio excogi-  
 tantur. Quamquam enim orator sacer inartificialibus  
 argumentis, diuinis nempe testimoniis, omnium frequentissime  
 utatur: quæ tamen iisdem diuinis litteris continentur pronun-  
 ciata, artificialibus quoque argumentis, ingenio, industria, & arte  
 nostra, partim ex ipsa sacra doctrina, partim ex ipsa ratione &  
 locis rhetorices depromptis, possunt, & ab oratore debent confir-  
 mari.

§. II.

Argumenta, quæ ab oratoris ingenio excogitantur, sunt vel  
 docentia, vel conciliantia, vel mouentia. Aut enim e re ipsa  
 eruuntur

eruantur, aut a moribus dicentis petuntur, aut auditoris adfectum animique motum respiciunt. Moratam orationem persona dicentis, rationes res ipsa, adfectus auditorum animi subministrant.

§. III.

Docentia & natura sua & vsu primum locum obtinent, & vnice in oratione adparent. Boni oratores id vnice præ se ferunt, vt doceant: delectandi vel mouendi studium dissimulant. Docentibus argumentis superstruenda est conciliatio & concitatio oratoris: nisi enim solidis rationibus suffulta sit persuasio, quæ moribus vel adfectibus continetur, illa parum erit durabilis, & refrigerato animo euanescet.

§. IIII.

Argumenta docentia vel ex vniuersalibus conclusionem inferunt, vel ex singularibus: ista dicuntur enthymemata; hæc exempla: ista fortius persuadent; hæc magis delectant, & populum capiunt. Vtraque maxime penetrabilia sunt tela, & ad animos hominum expugnandos omnium valentissima. Et quidem quod ad exempla attinet, eo maiorem illorum curam habebit orator, quo captui adfensionique populari, hoc est, auditorio ipsius accommodatiora sunt exempla: sunt enim velut testimonia & probationes captu faciles. Hoc argumentationis genus & diuinis litteris, & sacris oratoribus admodum familiare fuisse, deprehendimus. Ipsi eloquentissimi ecclesiæ patres enthymematibus illa interferunt, haud ignari, quantum ad animos ducendos delectandosque facultatis habeant illustrium exemplorum documenta.

§. V.

Enthymemata deesse numquam debent: exempla adhibentur ad illustrationem enthymematum. Si priori loco ponuntur, id est, ante enthymema, multa exempla adferri necessum est: sin enthymemati postponuntur, vnicum satis erit. Orator sacris exemplis sacris vtatur potissimum: vtiliter quoque exemplis martyrum, e veteri historia ecclesiastica petitis, ad constantiam & patientiam auditores excitabit.

## §. VI.

Ad inuenienda argumenta vel enthymemata docentia exponendæ sunt partes propositionis. Petuntur illa e re ipsa, id est, ex conclusionis demonstrandæ subiecto aut prædicato, eorumque definitionibus, proprietatibus, & in vniuersum ex antecedentibus, consequentibus & repugnantibus. Antecedentia, quæ vel subiecto, vel prædicato conclusionis probandæ secundum naturam subiiciuntur: consequentia, quæ de subiecto vel prædicato huiusmodi conclusionis probandæ prædicari queunt: repugnantia, quæ vel de prædicato vel subiecto demonstrandæ conclusionis vere prædicari, aut iisdem subici non possunt.

## §. VII.

Quæ argumenta seu enthymemata proferruntur, ita comparata esse debent, vt ne superent captum populi: selecta sint oportet, & maxime opportuna, non longius petita, sed propinqua. Neque etiam cumulanda nimis sunt, vt vnum premat alterum: singulorum enim vim non adsequetur auditor, sed postquam vnum attulimus, morata vtamur oratione, vel adfectum moueamus, vel apothegma, simile, exemplum adferamus, quod maiorem adfundat lucem, eoque distinguamus orationem.

## §. VIII.

Firmissima argumenta primo loco ponat orator facer, nec non vltimo loco. Si duo tantum sint, initium fiat a fortiori, inde adhibeamus id, quod est imbecillius, recurramusque ad primum. Quin immo omnia argumenta debent esse firma, & e textu petita. Quæ autem adferuntur, ita dilatentur, vt eorum vis tanto clarius ponatur ob oculos. Neque tamen æquali prolixitate in omnibus enthymematibus est opus: quæ obscuriores sunt probationes, pluribus explicentur, quam quæ sunt facilioris apprehensionis: & vbi enthymemate atque exemplo vti volumus, primo loco vtamur enthymemate.

## §. VIII.

Argumenta probantia seu docentia e textu, eiusque visceribus

bus sumi debent, & in eo contineri: quæ aliunde sumuntur, iungi possunt, non probant tamen, sed illustrant tantum & amplificant. Neque fieri aliter potest ab ecclesiaste, qui promissit, se post litteralem textus explicationem, hoc vel illud morale adhibeat argumenta, (ad ornandum & amplificandum adhiberi possunt) fidem suam fallit, nec stat promissis: si quis tantum & vnice peregrina adhibet argumenta, quibus propositionem suam, seu morale confirmet, is quidem de doctrina quadam facunde loqui poterit, sed ille non dixit prævio textu: quin immo dicere hæc omnia potuisset, nec habuisset opus textu illo, nec vlla eius interpretatione.

C A P. X.

de

*Locis argumentorum communissimis.*

§. I.

**C**onciones ecclesiasticæ omnes sunt orationes deliberatiui generis, quibus aliquid suademus, vel dissuademus. Quamlibet enim in personarum & rerum laudatione & vituperatione crebro versetur orator sacer, elogiis tamen istis non terminantur orationes sacræ, vt demonstratiuæ oblectationi auditorii vere destinatæ, sed ad pietatis christianæ hortamenta tendunt, vt, quod reuereantur, detestentur, imitentur, vitent, illustribus exemplis admoneantur auditores. Et generis iudicialis doctrina ecclesiæ ministro scitu vsuque est necessaria, quum vel suam, vel gentis christianæ causam contra calumniatores agere debet: vel quietis ac persecutionis temporibus suo ad populum muneri obeundo inuigilat, vbique id intendit, vt suadeat, vel dissuadeat. Ipsa vero enthymemata, quorum vsus est in genere deliberatiuo, siue etiam in concionibus, petuntur a bono, vtili, iucundo, possibili, honesto, reliqua.

E 3

§. II.



§. II.

Inter locos, e quibus argumenta suasionum & dissuasio-  
num peti possunt, primus est felicitas. Neque christiani debent  
in rebus fluxis & caducis, quæ si non alia ratione, morbo aut  
mortè auferri possunt, felicitatem suam quærere, quibus æterna  
ac diuina proposita sunt præmia, præ quibus terrestria sordent.  
Ostendat ergo sacrarum animarum tractator atque moderato-  
rem, omnem in Deo felicitatem, & extra eum nullam inueniri: reli-  
qua vero bona dispensari, vt quæ ad salutem consequendam  
necessaria, omnibus conferantur, qui illa expetunt, terrena autem  
eatenus piis largiri Deum, quatenus saluti æternæ non obfutura  
videt. Qui ergo pietatem christianam suadere velit, ostendat,  
illam habere summam felicitatem, promissiones amplissimas.

§. III.

Alter locus est de iucundo & opposito molesto: iucundum  
dicitur, quidquid naturæ hominis est consentaneum. Argu-  
menta inde deduci possunt ad persuadendum & dissuadendum.  
Christianis ea voluptas est proposita, quam nullus mœror con-  
sequitur; e contrario, si secus agunt, ii dolores sunt metuendi,  
quos nulla dies, nullum æuum terminabit: quin christianorum  
vita in his terris vera voluptate haud destituitur, quum nullum  
maius gaudium expectari possit, quam quod ex recte factorum  
conscientia, & propitiæ Dei in animis piorum habitatione nasci-  
tur. A vitiis quoque retrahi possunt homines, si ostendo, iis  
sanitatem corporis euerti, tranquillitatem animi vastari, odium  
Dei hominumque contrahi, quæ omnia cum maxima molestia  
coniuncta esse, nemo inficiabitur.

§. III.

A possibili quoque varia enthymemata deduci possunt.  
1. Qui potest maius, potest etiam minus. 2. Quem in agendo  
nihil impedire potest, ille destinata facit. 3. Quod factum est,  
fieri potest. 4. Cuius potentia finita, ille non potest omnia.  
5. Quod quis potest & vult, illud facit.

§. V.

§. V.

Propositionibus de honesto vtetur quoque orator ecclesiasticus tam ad laudandum & vituperandum, quam ad suadendum & dissuadendum; ita tamen, vt meminerit, christianorum virtutes ab animo per fidem repurgato, gratiaque diuina adiuto, proficisci debere, vt Deo placeant. Honestum vero est. 1. Quod voluntati & legi diuinæ respondet. 2. Ad quod internis motibus impellimur. 3. In quo Deum imitamur. 4. Quod recta ratio dicitur. 5. Quo publica salus potius, quam priuata quaeritur. 6. Quod in hostibus & inimicis laudamus. 7. Cuius contrarium praesente viro honesto non facile suscipitur. 8. Quod alia creaturae communi quasi instinctu faciunt. 9. Quod in die extremo celebrabitur. 10. Cuius recordatio in rebus aduersis grata est. 11. Quo facta conscientia nostra tranquilla redditur. De ceteris argumentorum communissimis locis, breuitatis studio, nunc quidem nihil addimus.

CAP. XI.

de

*Amplificatione & epilogo.*

§. I.

**N**on solum quæ dicimus, confirmanda sunt, sed etiam amplificatione exornanda. Illa enim oratorem reddit illustrem & locupletem. Amplificatio duplex est, alia rem maiorem minoremue ostendit, quam est: locum illa non habet in concione, quæ proponit grauissima, & vel ad æternam salutem, vel ad æternum exitum pertinentia: alia orationem ampliorem facit, de qua hic agimus, consistitque in rebus dilatandis & fusius explicandis, vt ne aures auditorum præteruolet oratio: neque vero inanis quædam loquacitas aut dicendi profluentia amplificando ostendatur; sed captui auditorum succurratur, qui vel rudes, vel a causa alieni, diutius paullo in rei consideratione detinendi sunt, vt capiant eam tandem, & in animum immittant.

§. II.



§. II.

Amplificatio parum ab ipsa confirmatione vel argumentatione distat, quum aliud ipsa non sit, quam dilatata quædam & copiosa confirmatio, vel argumentatio vehemens. Ex ipsis inuentionum locis nascuntur amplificationes: res eadem & probant & amplificant, pro diuerso oratoris fine. Quidquid adfertur rei illustrandæ ergo in genere orationis copioso & figurato, illud amplificandi vim habere intelligitur.

§. III.

Amplificationem faciunt definitiones conglobatæ, vel descriptiones, translatio hypotheseos ad thesin, quando a definita & singulari quæstione ad communem & indefinitam ascendimus, & ex hac illam illustramus. Magna grauitas perspicitur, si quis quæ ad vniuersi generis quæstionem pertinent, recte & populariter explicare nouerit.

§. IIII.

Alter locus est enumeratio & distributio totius in partes, generis in speciem. Distribuitur vero in partes vel subiectum propositionis, vel prædicatum, vel vtrumque. Hic locus ornatum requirit, & illustres figuras, in oratorum lectione facile obseruandas. Tertius est similitum, comparatorum & oppositorum collatio: crescit enim vel decrescit res per collationem. Porro ex circumstantiis vel rerum, vel personarum amplificatio nascitur. Denique ad amplificandam orationem adhibentur digressiones, quæ tamen nec longius petitæ, nec crebræ, nec proluxæ nimis esse debent. Solent & digressiones adhiberi, vel quando in sterili versamur argumento, vt orationis suppetat copia, vel ad oblectandum, vt animi auditorum in argumento quodam grato conquiescant, vel vt odium inuidiamque effugiat orator.

§. V.

Peroratio seu epilogus est clausula totius orationis: epilogus repetitionem dictorum instituat absque tædio, quod fit, quando



quando præcipua tantum, & in quibus momentum aliquod positum, repetuntur. Quod si enim singula quasi puluiscula corradere, & scrupulose omnia regustare velis, noua iterum resurget oratio. Sunt quidam, qui nil nisi diuisiones & subdiuisiones suas in epilogo repetunt, quæ tamen repetitio & ieiuna & sterilis esse solet, videturque tendere ad ostentationem memoria. Figuris distinguenda est & exornanda repetitio, vt aculeus in animo relinquatur: requiritur oratio grauis & mascula, dictio cum cura elaborata, pondera enthymematum strictim propofita, sententiarum vis pathetica, & stringentia scripturae loca.

§. VI.

Dum peroratio adfectus mouet, decorum obseruetur, ne in rebus minutis tragici adfectus excitentur. Sic enim frigide & pueriliter oratio desinat, necesse est. Abruptæ perorationes si in tempore adhibeantur, multum faciunt ad persuadendum & permouendum.

§. VII.

Sive dicto neruoso, siue pio voto, siue gratiarum actione, seu celebratione nominis diuini finiatur oratio, vbique orator facer sic se gerat, ne e longinquo præscire possint auditores, instare orationis terminum. Non exiguum oratori dedecus est, si auditores, quasi tædiorum pleni, iusto citius se ad surgendum, aut ad caput aperiendum accingunt. Qui in peroratione fabulas narrant, & cum ioco ac risu auditorum finiunt, reprehensione maxima sunt digni.

§. VIII.

Præcipua regula est in epilogo, certis regulis se non adstringere, sed vbi videmus auditores valde attentos, & hoc illoue adfectu motos; sermonem breui voto, aut dicto scripturae, aut versiculo cantus ecclesiastici abrumpere.



CAP. XII.

de

*Monitis quibusdam oratori sacro necessariis,  
& de ratione dicendi e sancto ambone  
summatim.*

§. I.

**F**Inem imposituri huic de eloquentia sacra, seu usu rhetorices in sacris, commentationi; subiungemus monita quædam in cœtu fidelium cum fructu verba facturis necessaria, & quæ ratione dicendum sit ex ambone sancto, summatim & paucis repetemus.

§. II.

Quod ad prudentiam oratoris sacri in obiurgando attinet, arguat quidem ille peccata, prudenter tamen hic ut veretur, necesse est; sapienter & circumspicte instituat reprehensiones, & morata oratione eas interpungat. Iterum viam hic præit l. c. subacti viri iudicii Christophorus Schraderus, quem in primis sequimur. Quidquid animos non emollire, sed exasperare, non allicere, sed alienare, adeoque obstinatiores reddere potest, id omne in dicendo velut scopulum euitet. Hoc ni fecerit, suo adfectui intemperanter indulgere videbitur: dicat de vitiis, parcat autem personis, nec, nisi forte immanitas delicti, & publicum scandalum exposcat, prodat quemquam, aut digito monstret. Laudabile est in reprehendendo artificium, ut ipsum vitium describatur, & quod vitiosè sit, ante oculos ponatur, nec in quemquam intendatur increpatio. Ipsius vitii accurata commemoratio, est luculenta accusatio. Statim enim reos conscientia mordet, ruborque confundit. Vel si quis contrariam virtutem commendet: hæc enim commendatio est honorata reprehensio eius, in quo virtutes illæ desiderantur, etiam si

etiamsi contra praesentes non tendat oratio. Multo minus totam ciuitatem, totum aliquem ordinem reprehendat orator facer. Hoc enim, praeterquam quod est ingratum, minus valet ad correctionem: numquam fere a communitate quadam peccatur, quin aliqui sint innocentes: accedit, quod iure fieri existimant, id quod omnium fit exemplo. Non valde erubescit, qui multos habere socios se in nequitia aliqua publice audit. Nec vacat errore, per enumerationem referre ex sacris litteris, multos tali peccato inquinatos: qui enim habet conscientiam, eius criminis ream, cogitat, nihil esse mirum, si & ipse in tali sit delicto, in quo audit plurimos sanctos fuisse. Leuiiores culpas non supra modum arguere oportet, grauiiores non nisi grauiter, & magno cum spiritu sunt castiganda. Curandum est, ne in arguendo peccato describantur lepide ipsa vitia, ne populus magis ad venustatem arguentis attendat, quam peccati odium concipiat. Modus ille reprehensionis aculeum orationis eneruat, vt potius ea dicta videantur vrbanitatis caussa, quam castigationis. Denique reprehensio fiat cum caritatis significatione ac lenitate, vt paterna erga auditores benignitas vbique eluceat, absque illiberali mordendi alios studio, illo impotentis animi caractere, vt ne videatur facer morum moderator arrogantior, aut exercere dominatum in auditores velle. Principes & magistratus haud temere & in hypothesi in populi turba perstringat; sed si quid ab his sit commissum, adeat eos, & vt Nathan Dauidem, Ioannes Herodem, coram potius admoneat. Familiaris illa compellatio facilius emollit animos, quos publica proclamatio exasperat. Plebi quidem perplacent temere in magistratum & publice iacta tela, huiusmodique iactatione, ad contemptum summatum iam ante nimium procliuis, saepissime abutitur. Praeclare optimus Schraderus l. c. *Inter alias, inquit, publice suscipiendas obiurgationes prudentissima erit illa, quae laudati, illaudatiue in veteri aut recentiori auro principis aut magistratus dicta, facta, laudes, probra, exitus singulares ex histo-*



riarum monumentis proposito conuenienter recenseat, ut noster par-  
 talibus, an impar sit, secum tacitus reputare incipiat; & quid sequi, quid  
 vitare debuerit, citra amarulentiam compellationem, sua sponte iam  
 intelligat, & quid deliquit, emendet. Pie igitur hic veretur &  
 prudenter ecclesiastes, caueatque in primis, ne, si quid forte ipsi  
 ægre factum, illud pro concione perstringat. Dicta, indicta, facta,  
 non facta, quæ ab aliis ei narrantur, non statim proponat: nec  
 sæpius, quam par est, in obiurgatione veretur: frequens repre-  
 hensio vim eius imminuit. Concludimus hæc prudentissimi  
 Schraderi verbis l. c. *Cuiusmodi in obiurgando prudentiam, ut Dei  
 spiritus omnibus sanctæ ecclesiæ suæ oratoribus, in diuini nominis gloriam,  
 & mortalium salutem, largiter subministret, ex animo voveo.*

§. III.

Inter monita oratori sacro necessaria referimus non imme-  
 rito hanc prudentiæ regulam, ut breuitati studeat: potissimam  
 cultus diuini partem constituunt preces, hymni, & si quid est  
 præterea eiusmodi generis: his quasi appendicis loco in veteri  
 ecclesiæ accesserunt adhortationes ad populum, sed breues, quæ  
 intra horam, vel dimidio horæ spatio finirentur, ut sunt pleræque  
 patrum græcorum & latinorum homiliæ, quas superflites  
 habemus. Operam det ecclesiastes, ut occultet artem, caueat-  
 que, ne magis ex artis præscripto, quam ex ipsius rei argumento  
 loqui deprehendatur. Absint dialecticæ in argumentationibus,  
 diuisionibus, & subdiuisionibus argutiæ, quæ quum a ciuili  
 eloquentia relegandæ sint, multo magis hic exulare debent,  
 licet illis occulte vtatur orator. *Frigidum fuerit, inquit Erasmus  
 in Ecclesiast. l. 2. easdem apud populum inculcare, quum tamen  
 interim his omnibus vtatur ecclesiastes, sed occultans artem, & ratio-  
 cinationum argutias sic explanans, ut multitudo sentiat, vere dici  
 potius, quam ingeniose.*

§. III.

Quod ad inuentionem ingeniosam, ad allegoricas & in-  
 genio-

geniosas argumentationes attinet, putant multi, tolerari eas posse, si prauis cautionibus adhibeantur. 1. Vt ingeniosa ista argumenta grauibus ac seriis distinguantur, ne veritas apud doctiores periclitetur. 2. Vt ita sint comparata, quo auditores non tam in oratoris, quam mysteriorum diuinorum admirationem rapiantur, quæ figuris adeo scite & admirabiliter sunt adumbrata. 3. Vt adhibeantur tanquam condimenta, non tanquam cibi, quod quidem præceptum generatim in omnibus illis tenendum est, quæ ad voluptatem in oratione referri possunt. Arbitramur, saluo aliter sentientium arbitrio, rectius fieri, si ab ornamentis his adscititiis prorsus absteineat ecclesiastes. Emblemata nescio quem cultum peregrinum spirant, quo fit, vt non argumenta rebus, de quibus dicitur, vt fieri æquum est, sed themata locis communibus seruiant. Et vero vt perpetuus rerum inter se analogismus est, ita ingenioso homini est facillimum, quæuis de quouis dicere, atque ita aptare, vt & concinna & arguta videantur, vt placere auditoribus etiam eruditis possint: nam horum gratia plerumque fiunt: verum alia sunt, quæ oratorem sacrum ornant ac decent. Cimbriæ gloria, & post fata quoque orbis eruditi deliciae, DAN. GEORG. MORHOFIVS grauitè hac de re acad. dissert. XIII. *Vidi, inquit, qui omnes totius anni pericopas vel ad flores, vel ad gemmas, vel ad historiarum Indicarum rariora dirigerent, intempestiuo & theairico hoc adparatu populo delicias facturi, quem diuinorum argumentorum maiestate dignoque illos eloquio commouere debebant. Sed quibuscunque illa etiam coloribus pingantur, extra vera eloquentiæ fines sunt posita, & vt struma corpus fidei deformant, eiusque succum & vim extinguunt. Neque sane cathedra sacra vt scena instrui debet, in qua voluptatis magis, quam vsus ratio habetur.*

§. V.

Vnam equidem eandemque ad populum ex ambone sacro verba faciendi rationem in vniuersa ecclesia introduci vix posse



credimus. Ea forsân reliquis probabitur, quæ simplex est, non fucata, maxime naturalis facilisque, quæ fini oratoris, qui est persuasio, in primis congruit. Introitus brevis sit & vniformis in concionibus ordinariis: in magnorum festorum solemnibus, aut funeribus hominum fieri aliter poterit. Adhibeantur exordia tempestiua, apta, breuia. Quid de corpore dixeris, cuius caput dimidiam corporis longitudinem excedit, quid de concione, cuius prælusio dimidium temporis absûmit? Absque omni figura rhetorica, per quam adfectus mouetur, absque gestibus & flosculis exordia proponantur: non sint aliena, non e longinquo petita, non adfectata, pomposa, abrupta. In explicatione textus, quæ faciliora sunt, præmittantur: explicentur, quæ difficiliora. Interdum etiam locus aliquis theologicus, (vbi de cetero in textu nulla est difficultas) ferente ita textu tractetur, sed breuiter, & vsibus nullis intermixtis. Vñs in concionibus catecheticis doctrinalis sit, in reliquis moralis plerumque. Vñs non nisi vnus proponatur, eum in finem, vt eo operosius firmitusque ille inculcari queat auditorio. Equidem beatissimus optimeque meritis IVSTVS GESENIVS S. Theol. D. & in Ducatu Calenbergensi Superintendens supremus, qui indicatam a laudatissimis viris, lucidisque olim academia Iulix sideribus, Calixto & Schradero verba ad populum faciendi rationem in primis secutus est, plures vna concione vsus, quos vocant, proposuit, vt ex concionibus eius in publicum editis patet. Sed quum, pro ratione temporis istius atque consuetudine, longiores ac prolixiores esse debuerint sacri eius sermones, fieri ab eo aliter vix potuit. Neque hodie quis temere improbauerit ipsa moralia, vt dicuntur, cumulatius quamlibet prolata in concione: quum vero omnia pro eo ac par est dilatare diligentiusque explanare, tam exiguo temporis spatio, orator sacer nullo modo queat, rectius forsân faciet, si adquiescat in vno, deque eius veritate necessitateque copiose amplissimeque dicat. Si singulis concionibus vel ab vno vitio grauitur

grauiter & diferte dehortatus fuerit, vel ad virtutem vnam acriter inflammauerit eos, qui dicenti attendunt, præstiteritque illud ita, vt hac de re auditoribus sit persuasissimum, sat grande fecit operæ pretium. Si de pluribus vitiis virtutibusque dieat vno eodemque sermone, vniuscuiusque explicatione mollius celeriusque defungatur oportet, neque omnia, qua par est, accuratone pertractare potest: quæ autem per digressionem quasi proponuntur moralia & paucis, facile auditorum, illitteratorum in primis, aures atque animos præteruolant, dumque ad tot & tam varia, fugienda aut facienda, se admoneri audiunt, omnium facile obliuiscuntur. Quicumque interim proponitur vsus, enthymematibus e textu ipso petitis, debet probari, non argumentis aliunde adscitis: quamlibet illa ornatus & illustramenti causa adiungi haud inutiliter possint, vt supra indicauimus.

§. VI.

Sed ne vterius excrescat hæc commentatio, finem illi imponimus, spe votisque omnibus præsumentes, quæ bono dicta sunt animo, in meliorem partem acceptum iri. Solis hæc scripsimus iuuenibus, in spem ecclesiæ ac emolumentum succrescentibus, sacræque oratoriæ studiosis, non iis, qui pia, graui, & flexanimi oratione ex ambone sacro populum sibi commissum diu docuerunt. Nec enim nostris hi monitis opus habent, quaque ratione commode & ad persuadendum adposite dicere debeant, omnium optime ipsi sciunt. Si cui alia sacras res proponendi methodus placeat magis, vtatur ea auditorum suorum bono. Chrysostomus & Augustinus eloquenter admodum dixerunt, non tamen eadem dicendi ratione vsi: & hodie quoque multi præclare rem agunt, diuersa tamen via incedentes. Chrysostomi quidem præcipua virtus est admirabilis quædam popularitas sermonis, quam virtutem omnium maximam esse oratorum credimus, eamque, si modo perfecta fuerit,

ex con-

ex consummata eloquentia, prudentia, dexteritate, & felicitate quadam ingenii profuere. Dispositio, qua vsus est in concionibus, duas ferme partes continet, quarum prima enarratio est, qua sacrarum litterarum sensus germane & adposite explicatur; altera moralis, quæ moralem dissertationem complectitur, siue vsus, vti vocamus, plerumque non nisi vnum.

§. VII.

Quod reliquum est, Deum oramus immortalem, vt, qui ad sanctæ religionis ex ambone interpretis munus, ad pietatis hortatoris publici adspirant officium, quæ partium suarum aliquando erunt, florente ætate sedulo perpendant, & ecclesiarum ministri aliquando, constituti pie & prudenter in omnibus se gerant negotiis, gloriæ diuinæ & commissi cœtus saluti vnice intenti. Vt æternum & vnicum numen cælesti spiritu suo, quod in iis operari cœpit, volens ac benignum perficiat, ex animo precamur.

**F I N I S.**

**Abstrusa**





Abstrusa vulgo, scire se licet eredit,  
Diuiniore Eloquentiæ vis est.

Res pulchra, præstans, fructuumque fœcunda,  
Callere fontes Eloquentiæ sacrae,  
Callere cunctos, intimeque scrutari,  
Fontes perennes, limpidos, inexhaustos.  
Quin eruditis insuper iuuat curis  
Illos recludi, publiceque monstrari:  
Nec prædicare non queo LEONHARDI,  
Præfekte nostris dulcibus tribus natis,  
Tuos labores optimos & acceptos  
Doctis, bonisque. Perge nobili gressu,  
Viamque calca, qua Tuus præit PRAESES,  
Facundus omnis Eloquentiæ Doctor.

f.

IOHANNES WERLHOFFIUS,

Acad. Iuliæ nunc Pro-  
Rector.

G

VIRTU-



VIRTUTE ET DOCTRINA PRAESTANTISSIMO  
RESPONDENTI SVO  
PRAESES.



**I**N publicum prodis laudabili conatu, ingenii liberalis vires, in academiae luce, in coetu aequalium honestissima aemulantium studia periclitaturus, quamque naviter contendas ad praecelara, abunde testaris. Laetor ex animo. quoties TE similesque TVI recta, & qua eundum est, via incedere animaduerto: nec enim oscitanter negligenterque rem agis, sed accurate & exquisite. Incubuiſti haecenus in ſacrarum litterarum ſtudia per ſeptennium illud, quod partim apud nos, partim in illuſtri Salana academia cum laude exegisti, vt tamen, iuxta ceteras meliores doctrinas, diuino huic ſtudio neceſſarias, bene ornateque dicendi ac ſcribendi artem, diligentius excolendam eſſe, nec imperite, nec falſo iudicares. Quam vellem ego, eadem omnes ratione ad arduum illud ac tremendum munus docendi caeleſtia oracula, & viam aeternae ſalutis monſtrandam, ſe florenti aetate praeparare! quibus autem ſpatiis ſtudiorum ſuorum curriculum multi hodie metiantur, notius eſt, quam vt dici a me nunc quidem debeat. Ostendi

Ostendi occasione alia, eos, qui controuersias ciuium ac lites exortas iure legibusque dirimere cupiunt, aut qui ad consilia magnorum principum regumque, ad ipsa reipublicæ gubernacula adspirant, eloquentiæ studiis carere minime posse, & nullam esse vitæ ciuilis partem, siue publicis siue priuatis in muneribus, in qua non pleraque omnia, voce aut litteris, tractari debeant atque expediri. Nam quod sanctissimæ disciplinarum theologiæ cultoribus, futurisque publicis ex ambone sacro pietatis hortatoribus, non vsui tantum ea sint, sed, si muneris sui partes implere velint, prorsus necessaria, constans semper sapientissimorum hominum & perpetua sententia fuit. Nemo temere olim apud nos beatissimis HEIDMANNI & SCHRADERI, disertissimorum virorum, temporibus ad theologica studia animum adplicuit, quin simul solida facultatis bene loquendi præcepta, vnicam illam eamque genuinam ad persuadendum accommodatè dicendi rationem, e natura ipsa & humanæ adfensionis indole deriuatam, ad res inter se dispares, sacras & ciuiles, adposite vsurpandam, mature addisceret: siue quod idem est, vsus rhetorices in habendis ad populum sermonibus sacris sibi monstrari curaret. Ita enim nominabatur in academia hac Iulia, priscis temporibus, e sacris rostris verba faciendi studium: quæ adpellatio, postquam in desuetudinem paulatim abiit, in multorum animis amor erga eloquentiæ, hoc est copiose, suauiter, eleganterque dicendi studia cœpit decrescere, quasi hæc ad ipsos non pertineant, nec esse, cur in iis magnopere occupari velint. Latinorum & græcorum patrum facundiam, pari iunctam eruditioni, in hunc diem admiramur: hi vero ipsos isto tempore artifices dicendi

scribendique artibus æquabant, quin vincebant interdum, nec pauci eorum dicendi præcepta ingenti sua cum laude sunt professi. Vtinam, qui idem studii genus hodie amplectuntur, qui diuinorum oraculorum interpretes olim esse cupiunt, in genuina dicendi sapientia proficere studio curæque haberent, vt suo tempore de sacro argumento sapienter & copiose in ecclesia dicere possent. Vis enim oratoriæ artis, quam ciuilis tam sacræ, non in clamore, aut inani verborum flumine, sed argumentorum neruis consistit: & ecclesiasticus quoque orator rationibus exemplisque sacras conclusiones confirmare, pietatem ac beneuolentiam suam dicendo spirare, & animorum motus in auditoribus concitare debet; hoc est, docere debet, commouere & delectare. Si fastidiunt hodie multi, nescio quo mentis errore, latinæ eloquentiæ studia, opera ab ipsis danda erat, vt in teutonica modo lingua disertis forent, vt in ea genus sermonis emendatum, purum, perspicuum, nitidum, mature consuetari discerent, ab inquinato, inuoluto, fucato, tumido atque sicco studiosissime abstinentes. Quod vernaculæ nostræ linguæ cognitio tam necessaria sit, quam quæ maxime, fortassis haud inficiabuntur: sermones sacros hac lingua haberi, nouimus omnes: sæpiusque accidit, vt rectissimorum studiorum, in primis sacrarum litterarum cultores, in funeribus pie defunctorum sermonem recitare debeant parentalem: quo officio minus recte fungentur, nisi teutonice linguæ adprime sint periti, suasque orationes lumine sententiarum, & verborum flore dilatare sciant, procul adscitiis illis fucatisque ornamentis, aut lenociniis potius, quibus sibi hodie multi mirifice placent. Quin immo latinam

latinam quoque eloquentiam impensius colere debebant omnes: & multi vel hoc nomine, si cetera deessent, quia ex academiis in patriam reduces, præstantissimorum hominum filios, carissima capita, erudire volunt, ut hac sibi ratione viam sternant ad officium publicum. Eiusmodi adolescentiæ, maiorum gloriæ succrescentis, moderator, quando a magno viro, pro sobole ac spe sua sollicito, adsciscitur, haud quæri solet magnopere, quoties hætenus ad populum ex ambone sacro verba fecerit, sed an elegantioribus litteris probe sit imbutus, quosnam bonos auctores veteres, optimos illos sapiendi loquendique magistros, peruoluerit, quos imitatus fuerit: an latine sciat scribere commode & ornate: ut fileam cetera humanitatis studia. Sed quorsum ista? præter expectationem dilabor in philosophiam non publici saporis. Recte TV facis atque ordine LEONHARDI PRAESTANTISSIME, quod necessariis instructus præsiidiis in sacrarum litterarum studia incumbas: gratulor TIBI hanc bonam mentem, utque numquam desciscas a TE ipso, sincere hortor. Non deerunt, ita spero, ita confido, qui studia TVA prouehere volent poteruntque: alacris modo ac fortis instat præclaris coeptis: talem TE esse oportet aliquando, ut TE esse & TV gaudeas, & alii TECVM. Quanti facias artis bene dicendi scribendique præcepta, in præsentis declaras, usum eorum in habendis orationibus sacris luculenter, simulque placide & modeste, in publica academiæ luce, contra secus sentientes, innocuo & liberali ingeniorum certamine tuiturus. Ut labor hic prospere cedat & fortunate, utque secunda omnia, hoc est, moribus studiisque TVIS digna TIBI contingant, benignissimum numen oro quæsoque. Scrib.

in acad. Iul. XXX, Octobr. MDCCVIII.

in actib. Jul. XXX. O. Job. r. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 41. 42. 43. 44. 45. 46. 47. 48. 49. 50. 51. 52. 53. 54. 55. 56. 57. 58. 59. 60. 61. 62. 63. 64. 65. 66. 67. 68. 69. 70. 71. 72. 73. 74. 75. 76. 77. 78. 79. 80. 81. 82. 83. 84. 85. 86. 87. 88. 89. 90. 91. 92. 93. 94. 95. 96. 97. 98. 99. 100. 101. 102. 103. 104. 105. 106. 107. 108. 109. 110. 111. 112. 113. 114. 115. 116. 117. 118. 119. 120. 121. 122. 123. 124. 125. 126. 127. 128. 129. 130. 131. 132. 133. 134. 135. 136. 137. 138. 139. 140. 141. 142. 143. 144. 145. 146. 147. 148. 149. 150. 151. 152. 153. 154. 155. 156. 157. 158. 159. 160. 161. 162. 163. 164. 165. 166. 167. 168. 169. 170. 171. 172. 173. 174. 175. 176. 177. 178. 179. 180. 181. 182. 183. 184. 185. 186. 187. 188. 189. 190. 191. 192. 193. 194. 195. 196. 197. 198. 199. 200. 201. 202. 203. 204. 205. 206. 207. 208. 209. 210. 211. 212. 213. 214. 215. 216. 217. 218. 219. 220. 221. 222. 223. 224. 225. 226. 227. 228. 229. 230. 231. 232. 233. 234. 235. 236. 237. 238. 239. 240. 241. 242. 243. 244. 245. 246. 247. 248. 249. 250. 251. 252. 253. 254. 255. 256. 257. 258. 259. 260. 261. 262. 263. 264. 265. 266. 267. 268. 269. 270. 271. 272. 273. 274. 275. 276. 277. 278. 279. 280. 281. 282. 283. 284. 285. 286. 287. 288. 289. 290. 291. 292. 293. 294. 295. 296. 297. 298. 299. 300. 301. 302. 303. 304. 305. 306. 307. 308. 309. 310. 311. 312. 313. 314. 315. 316. 317. 318. 319. 320. 321. 322. 323. 324. 325. 326. 327. 328. 329. 330. 331. 332. 333. 334. 335. 336. 337. 338. 339. 340. 341. 342. 343. 344. 345. 346. 347. 348. 349. 350. 351. 352. 353. 354. 355. 356. 357. 358. 359. 360. 361. 362. 363. 364. 365. 366. 367. 368. 369. 370. 371. 372. 373. 374. 375. 376. 377. 378. 379. 380. 381. 382. 383. 384. 385. 386. 387. 388. 389. 390. 391. 392. 393. 394. 395. 396. 397. 398. 399. 400. 401. 402. 403. 404. 405. 406. 407. 408. 409. 410. 411. 412. 413. 414. 415. 416. 417. 418. 419. 420. 421. 422. 423. 424. 425. 426. 427. 428. 429. 430. 431. 432. 433. 434. 435. 436. 437. 438. 439. 440. 441. 442. 443. 444. 445. 446. 447. 448. 449. 450. 451. 452. 453. 454. 455. 456. 457. 458. 459. 460. 461. 462. 463. 464. 465. 466. 467. 468. 469. 470. 471. 472. 473. 474. 475. 476. 477. 478. 479. 480. 481. 482. 483. 484. 485. 486. 487. 488. 489. 490. 491. 492. 493. 494. 495. 496. 497. 498. 499. 500. 501. 502. 503. 504. 505. 506. 507. 508. 509. 510. 511. 512. 513. 514. 515. 516. 517. 518. 519. 520. 521. 522. 523. 524. 525. 526. 527. 528. 529. 530. 531. 532. 533. 534. 535. 536. 537. 538. 539. 540. 541. 542. 543. 544. 545. 546. 547. 548. 549. 550. 551. 552. 553. 554. 555. 556. 557. 558. 559. 560. 561. 562. 563. 564. 565. 566. 567. 568. 569. 570. 571. 572. 573. 574. 575. 576. 577. 578. 579. 580. 581. 582. 583. 584. 585. 586. 587. 588. 589. 590. 591. 592. 593. 594. 595. 596. 597. 598. 599. 600. 601. 602. 603. 604. 605. 606. 607. 608. 609. 610. 611. 612. 613. 614. 615. 616. 617. 618. 619. 620. 621. 622. 623. 624. 625. 626. 627. 628. 629. 630. 631. 632. 633. 634. 635. 636. 637. 638. 639. 640. 641. 642. 643. 644. 645. 646. 647. 648. 649. 650. 651. 652. 653. 654. 655. 656. 657. 658. 659. 660. 661. 662. 663. 664. 665. 666. 667. 668. 669. 670. 671. 672. 673. 674. 675. 676. 677. 678. 679. 680. 681. 682. 683. 684. 685. 686. 687. 688. 689. 690. 691. 692. 693. 694. 695. 696. 697. 698. 699. 700. 701. 702. 703. 704. 705. 706. 707. 708. 709. 710. 711. 712. 713. 714. 715. 716. 717. 718. 719. 720. 721. 722. 723. 724. 725. 726. 727. 728. 729. 730. 731. 732. 733. 734. 735. 736. 737. 738. 739. 740. 741. 742. 743. 744. 745. 746. 747. 748. 749. 750. 751. 752. 753. 754. 755. 756. 757. 758. 759. 760. 761. 762. 763. 764. 765. 766. 767. 768. 769. 770. 771. 772. 773. 774. 775. 776. 777. 778. 779. 780. 781. 782. 783. 784. 785. 786. 787. 788. 789. 790. 791. 792. 793. 794. 795. 796. 797. 798. 799. 800. 801. 802. 803. 804. 805. 806. 807. 808. 809. 810. 811. 812. 813. 814. 815. 816. 817. 818. 819. 820. 821. 822. 823. 824. 825. 826. 827. 828. 829. 830. 831. 832. 833. 834. 835. 836. 837. 838. 839. 840. 841. 842. 843. 844. 845. 846. 847. 848. 849. 850. 851. 852. 853. 854. 855. 856. 857. 858. 859. 860. 861. 862. 863. 864. 865. 866. 867. 868. 869. 870. 871. 872. 873. 874. 875. 876. 877. 878. 879. 880. 881. 882. 883. 884. 885. 886. 887. 888. 889. 890. 891. 892. 893. 894. 895. 896. 897. 898. 899. 900. 901. 902. 903. 904. 905. 906. 907. 908. 909. 910. 911. 912. 913. 914. 915. 916. 917. 918. 919. 920. 921. 922. 923. 924. 925. 926. 927. 928. 929. 930. 931. 932. 933. 934. 935. 936. 937. 938. 939. 940. 941. 942. 943. 944. 945. 946. 947. 948. 949. 950. 951. 952. 953. 954. 955. 956. 957. 958. 959. 960. 961. 962. 963. 964. 965. 966. 967. 968. 969. 970. 971. 972. 973. 974. 975. 976. 977. 978. 979. 980. 981. 982. 983. 984. 985. 986. 987. 988. 989. 990. 991. 992. 993. 994. 995. 996. 997. 998. 999. 1000.

100









99 A 6959


ULB Halle  
002 841 819  
ULB Sachsen-Anhalt  
Ausgabenortens  
Datum: 2008


56

Vb 17

Retros ✓







8

IDEAM  
ELOQVENTIAE  
SACRAE

*PRAESIDE*

IVSTO CHRISTOPH. BÖHMER

POLIT. ET ELOQV. PROF.

D. III. NOVEMB. MDCCCVIII

*IN VLEO MAGNO*

ACADEMICA DISSERTATIONE

EXPONET

IO. CHRISTOPH. LEONHARD

GERA-VARISCVS.



*HELMSTADII*

TYPIS GEORG-VVOLFGANGI HAMMII, ACAD. TYPOGR.